



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Camilli De Lellis Fvndatoris Religionis Clericorum Regvlarivm Infirmis Ministrantivm

Cicatelli, Sanzio

Antverpiæ

Liber Tertivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37267

VITÆ
 P. CAMILLI
 DE LELLIS
 FVNDATORIS
 RELIGIONIS
 CLERICORVM REGVLARIVM
 INFIRMIS MINISTRANTIVM
 LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

*Charitas Camilli erga infirmos in
 Nosocomiis.*



VM plurima Camilli serui Dei
 præclarè gesta in ipsius Vitæ
 decursu prudens & sciens præ-
 terierim (propterea quòd nol-
 lem eorum diuersitate huius
 Historiæ filum interrompere) nunc istorum
 nonnulla ad filiorum eius & aliorum ipsi ad-
 dictorum consolationem statui breuiter at-
 tinge-

tingere. Quare vt à sancta Charitate, tamquam à virtutum omnium radice, & à dono illi præ reliquis familiari, ducam initiū; dico eum huius sanctæ virtutis igni ita fuisse inflammatum, non modò erga Deum (cuius amore vel millies potius sanguinem profudisset, quàm vel minima macula animum inquinaret) sed etiam erga proximos, ac speciatim infirmos in Nosocomiis laborantes: vt vel solus eorum cōspectus satis illi esset ad concipiendam cordis teneritudinem, liquefactionem, & omnium denique deliciarum ac terrenorum oblectamentorum atque affectuum perfectam obliuionem. Quippe qui videbatur, cū vni cuiquam infirmorum ministraret, præ nimia pietate ac miseratione se quodammodò totum conficere atque consumere. Nam libenter in semetipsum omnem eorum languorem, & aliud quoduis malum suscepisset, quò ipsorum vel dolores leniret, vel tolleret infirmitates. Christi enim personam tam viua imaginatione in illis attendebat, vt sæpenumerò inter præbendum cibos conciperet animo suos esse christos, adeoque ab iis gratiam & peccatorum remissionem efflagitaret. Hinc tanta coram illis stabat reuerentia, ac si verè & propriè in Domini sui esset præsentia. Quare & cibum illis frequenter aperto capite & submissis genibus

nibus porrigebat. Quadam proinde nocte, in
 Nosocomio S. Spiritus Romæ inuenit eum
 socius suus P. Gaspar Macarius in loco amen-
 tibus deputato, stantē flexis poplitibus coram
 paupere quodam infirmo, cui in ore tam pe-
 stifer inerat ac purulentus cancer, vt possibile
 non esset foetoris eius sustinere graueolentiā:
 hic nihilominus, proximè adstans, & halitu
 halitum excipiens, tantę beneuolentię verba
 profundeabat, vt eius desipere amore videretur,
 speciatim cum diceret: *Domine mi, ani-
 mula mea, age queso, quidnam ego in tui obse-
 quium faciam;* nempe arbitratus illum ipsi
 esse dilectum suum Dominum Iesum Chri-
 stum. Aliàs item adeò mente fuit à se abstra-
 ctus, adeò hac sancta imaginatione abreptus
 à sensibus, vt sæpè obseruatum sit, cum vellet
 inter porrigendos cibos cochlear in ora infir-
 morum immittere, ipsa ora reperire non po-
 tuisset, oculis scilicet imaginario pauperum isto-
 rum splendore perstrictis: quandoquidē nihil
 aliud in eorum vultu, nisi ipsam Domini sui
 effigiem contempleretur. Vnde aliquando
 dicenti infirmo, *Pater, oro te, vt lectum meum,
 qui oppidò durus est, accommodes;* ipse tamquā
 graui ab illo affectus iniuria, quod vsus esset
 deprecandi vocibus, cum stomacho respon-
 dit: *Deus tibi parcat, mi frater. Itāne tu me
 oras? Nescis igitur te posse mihi imperare, tam-*
 quam

quam seruo tuo & mancipio? & confestim magno cum feruore lectum illi, quò molliùs cubaret, accommodauit. Alio tempore cùm infirmum quemdam vlceribus plenum cibo refecisset, & ille, tametsi omni genere charitatis perbenignè habitus, tamen vincente patientiam morbi asperitate non nihil quereretur, tamquam sibi non esset factum satis; tum Camillus, velut exesis pia miseratione visceribus, ruens illi in amplexus, & blandis demulcens sermonibus, *Charissime mi frater*, inquit, *per amorem Iesu Christi te oro atque obsecro, noli flere, noli lugere amplius: ego hinc presso sum ut tibi seruiam, & quodcumque mandaueris exequar: ac scias, velim, me nequaquam hinc abcessurum, donec apud te benè esse & ex animi tui sententia videro.* His atque similibus verbis eius animum deliniuit & consolatus est. Si quempiam ob mutanda linteamina inter manus acciperet, id tanto studio tantaque diligentia faciebat, vt ipsam Christi personam videretur atrectare; ac licet infirmus ex iis esset qui lepra aut contagione in toto Nosocomio quàm maximè infecti forent, tamen ipse eum amplectens, perinde caput capiti & os ori coniungebat, ac si ipsum Christi sacrum caput spinis coronatū amplecteretur. Si ipsum ad alium lectum transferret, mirè sollicitus erat, ne minùs benè

benè opertus esset, nè caput depressum haberet, nè frigus contraheret, nève vlla corporis pars nuda appareret. Dum ad Nosocomium iret, quamvis inibi aliud nihil reperiret aut sentiret quàm purum putum fetorem atque miseriam, sibi tamen videbatur ad deliciosum aliquem floridumve hortum accedere. Quocircà obuiam aliquando factus Bartholomæo à Cruce, Medico & benefactori nostro, atque ab eo interrogatus, quoniam se conferret tali tempore (erat enim valdè serum) respondit, In hortum pulcherrimum, & floribus fructibusque vberimum, oblectamenti gratiâ, non procul ab Hadriani mole. Quod vir nobilis non mediocriter admirans (quippe qui circum ea loca nullum talem hortum esse nosset) cùm hæreret aliquamdiu cogitabundus, tum subridens Camillus, *Is hortus, inquit, est Nosocomium sancti Spiritus.* Quo audito idem benefactor, summa spirituali voluptate est perfusus. Aliàs cuidam è nostris Patribus ex eo sciscitanti, num ipsi in Nosocomio benè esset, ipse velut super hoc admirabundus, *Ecquomodo, inquit, non mihi benè esset in Nosocomio? quippe paradiso terrestri, & cum fiducia quidem & pignore obtinendi caelestem.* Erat ipse quidem vt plurimum naturæ subtristis & melancholicæ, sed eidem Nosocomium aliquod ingresso, mox quasi

quasi clarescente cælo, omnis obscuritas mor-
torque animi succedenti lætitiæ locum da-
bat: nec ipse solùm, sed etiam omne Nosoco-
mium in alacritatem ac hilaritatem ver-
tebat. Nam ad eius aduentum cuncti gaudio
exultabant, claudi, muti, surdi, aridi, & quiuis
alij membris capti: quin & cæci ipsi eius sta-
tim odorem percipiebant, & ad se aduoca-
bant, & consalutabant ex nomine. Videba-
tur enim eo accedente Angelus ad aquam
Piscinæ probaticæ commouendam acces-
sisse. Ita cuncti ab eo vel auxilium spera-
bant, vel solatium. Quid autem admirabi-
lius, quàm vmbra illius dumtaxat atque
præsentiam, instar alterius sancti Petri, visam
ipsis esse morborum curationem adferre at-
que laxamentum? Ingressus deinde Nosoco-
mium, ibat huc illuc eos quæritans, quos gra-
uior ægritudo detineret, & qui viciniore
morti essent, dabatque operam, & quibus-
cumque poterat modis laborabat, vt æquo-
lubenti que animo mortis necessitati pare-
rent: nec vllum sibi alium in omnibus hisce
externis occupationibus scopum præfigebat,
quàm vnicam animarum salutem, pro qui-
bus adiuuandis tot curas anxietatesque susci-
piebat. In ipso autem ciborum administran-
dorum actu tam erat diligens atque attentus,
vt videretur nihil prorsus aliud reliquum ha-
bere

S

bere

bere in mundo faciendum: adeò vt si centum suppetissent manus, omnes centum in id obsequij impensurus fuisset & occupaturus; quandoquidem vnâ cibum in os ingerebat, alterâ erectum caput fulciebat, aut muscas abigebat; oculis, num quid deficeret, respicebat; auribus, si quid imperarent, attendebat; linguâ hortabatur ad patientiam, corde Deum precabatur vt ipsis conferret gratiam. Iam hoc expleto ministerio, aut quocumque alio charitatis genere, cerneret illum non prius ab illis diuelli posse, quàm ipsimet ore suo confessi essent sibi esse satisfactum, nec quidquam ab eo vltra requirere. A quibus cum discederet, solebat ipsis osculandum exhibere Crucifixum, aut aquâ benedictâ eos aspergere, aut manibus pedibusque oscula figere, & preces efflagitare, mistis ferè huiusmodi votis ac vocibus: *Faxit Deus, vt in hora mortis meae vel vnum suspirium, vel vna saltem bona precatio mihi obtingat istorum pauperum!* Sæpè aquam illis fundebat in manus, sæpè non valentibus eas abstergere, vtrò abstergebat, mundabatque. Verùm quod fuit genus pietatis ac misericordiæ quod erga illos non exercuerit? Ipse tondebat, ipse pecebat, ipse vngues refecabat, ipse vulnera obligabat, ipse cauteria repurgabat, ipse linguas mundabat, ipse modò tempora, modò aures

aceto

acetum rosaceo, siue ad corroborandum, siue
 ad sensus ipsis restituendos, crebro liniebat.
 Non raro etiam, infirmis è cubili surgenti-
 bus ipse crepidas suas exuens, illorum pedi-
 bus (ne terram nudis plantis attingerent) im-
 mittebat, nec infrequenter, vt frigus ab ijs ar-
 ceret, semetipsum expolians eos operiebat, &
 suâ ipsius togâ concalefaciebat. Plerumque
 item supra tunicam suam ordinariam, aliam
 in Nosocomio vestem è tela nigra superin-
 duebat. Igitur cum Clemens VIII. Ponti-
 fex felicitatis recordationis sub initium sui Pon-
 tificatus, bis ad visitandum sancti Spiritus
 Nosocomium accessisset, non est verecun-
 datus Camillus, cum illa veste è rudi tela ad
 osculandos eius pedes accedere: quo facto
 ita delectatus est Pontifex, tamque boni con-
 sultus, vt eo ipso tempore eiusdem Camilli,
 circa dicti Nosocomij administrationem at-
 que seruitium, iudicio atque consilio vti vo-
 luerit, & horam vnam cum illo seorsum in
 quodam cubiculo sermones produxerit: vbi
 ipsi absque arbitris super dicto negotio inter
 se pertractarunt. Tam autem facilem tam-
 que affabilem se infirmis præbebat, vt com-
 plures sua verborum lenitate peccatores alio-
 qui obstinatissimos ad pœnitentiam atque
 confessionem perduxerit. Iacuit aliquando
 in eodem S. Spiritus Nosocomio infirmus
 S 2 quidam

quidam sectâ Lutheranus, qui conspecta Camilli erga infirmos eximia charitate, illum ad se aduocauit, hæreticum se esse aperuit, & Confessionis quidem ac Communionis Sacramenta, vt in lectum admitti posset, usurpasse, verumtamen peccatum hæreseos reticuisse. Itaque illud postea confessus est, & in sanctæ Ecclesiæ gremium receptus. Solebat idem ferre ad infirmos, idque non infrequenter, nonnulla saccharo condita, aut fructus quospiam pro ratione temporum ipsis innocuos, & ad refrigerationem recreationemve commodos. Quando noctu in Nosocomio vigilabat, obibat ipse illud, vtensilibus quàm plurimis oneratus: si quidem vltra Crucifixum suum, quem semper ferebat, & præter librum adiuuandis morientibus destinatum, tres quoque gestabat lagunculas cingulo alligatas, vnâ aquæ benedictæ, aliam aceti, tertiam aquæ coctæ ad ora refrigeranda, vnum insuper aut duos scyphos stanneos, cum vasculo æneo ad eundem vsum. Præter quæ omnia fecerat eum quoque sancta charitas coquum, ibatque sæpius ad Nosocomiorum culinas, & ibi nonnulla pro infirmis coquebat. Quin & nutricem quoque ipsum eadem charitas reddiderat. Vnde & simplicem quemdam infantulum ibi morbo affectum sæpiusculè contrectabat, pulte alebat, &

& si lactis vbera habuiffet, sine dubio, instar
 piæ matris, sibi lac ex corde in os eius expres-
 siffet. Cùm verò nihil aliud noctu habe-
 ret quod in Nosocomio ageret, ibat pede-
 tentim & suspenfo gradu, cum candela, co-
 opertum infirmos, aut maetatum cimices
 quietem ægrotis suffurantes. Non rarò au-
 tem cum quibusdam pauperibus alienigenis
 (quibus ad inualetudinem linguæ Italicæ
 ignorantia accedebat) ita se studebat accom-
 modare, vt ad sensa sua illis manifestanda,
 interdum mistis è Latino, Gallico, Hispani-
 co, atque etiam Græco (quod in Dalmatia
 didicerat) sermonibus vteretur. Cùm ali-
 quando infirmum quemdam in S. Spiritus
 cubiculo, amentibus deputato, inueniffet ad-
 eò sordibus atque illuue obfitum, vt ab eius
 aspectu cuncti abhorrerent, ipse eius miser-
 tus, confestim domum petijt, & nostris, quid
 facere in animo haberet, ignorantibus, sum-
 psit è culina grandem concham, saponem,
 & mantile albissimum, & duos tresve herba-
 rum odoriferarum fasciculos, moxque repe-
 tito Nosocomio, iussit aquam in lebete cale-
 fieri, tum pauperem in concham imposuit,
 totumque à vertice ad pedes lauit, purgavit,
 magnaque charitate illud hominis vilissimi
 corpus absterfit. De nulla re sæpius, de nulla
 feruidius, quam de sancta charitate sermo-
 nes

nes miscebat, eamque optasset cunctorum mortalium cordibus inserere. Ita speciatim duabus vicibus de hac eximia virtute loquens, in tantum excessit feruorem, ut quibusdam è nostris vultus eius sic lucere ac coruscare visus sit, ac si ex eo radij quidam splendoris emicarent. Deinde, ut Fratres suos Religiosos ad hanc principalem virtutem inflammaret, solebat ijs dulcissima illa Iesu Christi verba inculcare: *Infirmus eram, & visitastis me.* Et illa Isaia: *Hæc est requies mea, reficite lassum: & hoc est meum refrigerium.* Quæ verba ipse reuera cordi suo insculpta habere videbatur; toties ea dicebat, toties repetebat. Vnde veritus, ne id suis fastidium afferret, ipsis sancti Ioannis Euangelistæ exemplum allegabat, qui olim similiter suis discipulis illa charitatis aurea verba toties replicabat, *Filioli, diligite alterutrum;* dicebatque sanctum Ioannem, illum sanctissimæ Trinitatis secretarium (sic enim eum solebat appellare) optimè potuisse alia ipsis commendare, sed noluisse aliud testamento illis relinquere, nisi præceptum illud, quod in eo lex omnis & perfectio Christiana consisteret. Solebat deinde sic concludere: *Ne miremini, Fratres mei, si toties vobis repeto & inculco ut pij sitis & misericordes: quippe similis ego sum presbyteris illis ruralibus, qui, ut vulgo dici-*

in nullo sciunt alio libro legere, quàm in suo Missali, ita ego dere alia, nisi de hac charitate, loqui non possum. Si fortè cernebat sæcularem quempiam exercentem in Nosocomio officia charitatis, videbatur quadam teneri invidia, perinde quasi ille lucrum ipsi raperet è manibus: proptereaque tanto ardentius in charitatem insistebat, dicere solitus, Nosocomia esse velut aurifodinas, unde tam ipse quàm alij omnes possent aternas sibi comparare diuitias. Dixit interdum cuidam Sacerdoti è nostris: Scire vultis, an sitis secundum cor Dei, & an ambuletis in via perfectionis? Examine vos ipsos, & videte quomodo vos habeatis circa id quod Deo promisistis: ac si quidem in nostri instituti ministerio calidos vos animaduertatis, bonum signum: sin frigidus deprehendatis, malum signum. Referebat etiam sibi ab infirmis impactos sæpè colaphos, & aggesta maledicta, & illatas iniurias: ac propterea in nostro ministerio magnanimitate opus esse, sed ante omnia curandum, vt creatorem ipsum in creaturis contemplemur. In publicis ad Religiosos Fratres suos exhortationibus, aut in alijs spiritualibus collationibus, ipse more antiquorum sanctorum Patrum, qui inter se de virtute sermones conferebant, semper de charitate loquebatur & tractabat, & modò vnum, modò alterum in-

280 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
terrogabat: quis modus esset optimus benè
regendi infirmos, benè cibandi debiles, benè
sternendi lectos, iubebatque interdum co-
ram omnibus afferri in medium mensas,
scamna, lintea, culcitra, stragula, ceruicalia,
ad explorandum, an scirent ea benè & appo-
sitè & ex eius sententia componere. Sic et-
iam periculum faciebat, an aptè & conue-
nienter solemnes protestationes & commen-
dationes animarum apud moribundos exe-
querentur: mandabat ergo huic, vt perso-
nam infirmi susciperet, alteri, vt personam
Patris infirmum ad piè moriendum adhor-
tantis: addebatque, hæc propria ac præcipua
esse debere studia & exercitia infirmis mini-
strantium, alia verò omnia in secundis ha-
benda esse, nec cor eis affigendum. Atque ita
prorsus cum illo agebatur: si quidem vbi in-
firmitas quæpiam, aut quæuis alia causa eum
domi detineret impeditum, videbatur sibi
catenis quibusdam esse illigatus, animum
varijs cogitationibus angendo, & cor ac lin-
guam semper ad pauperes Nosocomij trans-
ferendo. Ita semel impeditus cùm esset atque
domi conualesceret, & socium à Superiore
constitutum ad necessaria ministeria (vt à
Superioribus constitutum fuerat) assiduè ha-
bere apud se posset, ipse tamen inutilem se
esse, ac nihil cuiquam prodesse reputans, il-
lum

lum quotidie manè & vesperi ad Nosocomium mittebat, dicens: *Vade, & ministra pauperi illi, qui est in tali & tali lecto*, simulque aliquid ad eos recreandos dabat. Reuerso autem eodem socio, cupiebat ex eo intelligere, quonam modo illi infirmi haberent, quid comedissent, an potum sumpsissent, num ipse aquam ferrariam illis obtulisset, num indusium mutasset: denique tot interrogationes alias super alias aggerebat, satis vt appareret, non iam in seipso illum viuere, sed tantum in Christo Iesu, & pauperes in ipso. Die quadam ad sancti Spiritus se conferens, cum ad pontem S. Angeli peruenisset, pauperem ibi offendit humi iacentem, quem multi mortales misericordia moti circumstabant: hunc ergo Camillus eleuatum ad Nosocomium deduxit: in via autem cum ante quamdam portam pertransiret, vbi femina inter verrendum multam ciebat pulueris nubem, Camillus eam deprecans, *Domina*, inquit, *expecta, amabo, pauillum, & aliquem huius pauperis, qui transit, respectum habe*, ostendebatque pauperem illum tanta cum reuerentia, ac si vere fuisset ipsa Domini Iesu Christi persona. Cum ad lectionem mensæ aliquem de charitate egregium locum audiret, plerumque illum repeti iubebat, ipsius anima ex eo spiritali cibo multum capiente nutrimenti,

282 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
menti. Diebus ieiunij quadragenarij, dum
concio de extremo iudicio haberetur, cupie-
bat suos omnes Religiosos interesse, vt scili-
cet publicam illam charitatis causam, quæ
tum legitur, audirent, & simul præmij magni-
tudinem, quod Dominus noster in illo Eu-
angelio pijs ac misericordibus promittit, in-
telligerent. Verùm si quando Concionato-
rem quempiam nihil de charitate erga infir-
mos in tota sua concione attigisse animad-
uertisset, id minimè æqui consulebat, sed at-
bitrabatur eam concionem velut annulum
aureum fuisse, sed sine lapide pretioso. Si
quando in Nosocomijs aliquem è suis auer-
satum esse infirmos, aut signum aliquod de-
monstrasse percepti fœtoris agnouisset, sta-
tim eum notabat, & subinde ad se vocans,
actutum adducebat secum ad lectum quem-
piam fœdum ac turpem componendum,
deinde infirmum sua ipse manu expurgans
dicebat: *Hanc mihi Deus gratiam indulgeat,
vt manibus in hoc sancto charitatis exercitio
occupatis emoriar.* Nostros ad Nosocomia
euntes volebat magnis passibus incedere,
quò plus haberent temporis in pauperes ex-
pendendum: & quia Frater quidam illuc va-
dens aliquantò lentiùs incedebat, Camillus
eum volens pudefacere, *Heus Frater, inquit,
quàm grillatorio gradu incessisti!* Quodam
die,

die, qui festus erat sancto Petro ad Vincula, mane, tametsi maxima decidente pluuia, ad Nosocomium abiit, eoque peruenit ita madefactus, vt coactus fuerit lintea duo absterforia curare humeris suis apponenda. Sæpè illi dictum Romæ fuit, dum vel maximi essent calores æstatis, vel ingentes hiemis pluuix, *Pater, ne vadat tua Reuerentia hodie ad Nosocomium, neque transeat per feruidum illum solem Pontis.* Ad quæ respondere solitus erat: *Frater, charitas non querit sua comoda.* Aliàs autem respondit: *An sol & aqua non sunt etiam Dei creaturæ? Quid igitur mali inferre mihi poterunt absque diuina voluntate?* tum sic concludebat: *Frater mi, opus est, vt caballo corporis nostri adhibeamus calcaria, quò in opus exeat, & gradum promoueat.* Dixit olim Camillo Pater Franciscus Conradus, *Pater, timeo ne aliquando tua Reuerentia præ nimia debilitate concidat, & inter pauperes mortem obeat.* Cui ille respondit: *Faxit Deus, vt inter hosce pauperes mortem obeam! & hoc ego Dominum deprecor.* subiunxitque: *Bonus miles mortem in bello appetit, & bonus nauta in mari, & bonus minister infirmorum in Nosocomio.* Quamuis autem ipse admodum austerus in seipsum esset, in socium tamen valdè mitis & indulgens erat. Cùm aliquando Romæ inmanes essent calores, & ipse in
meri-

284 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
meridie ad Nosocomium iret S. Spiritus, in
transitu pontis S. Angeli, ardente sole, dixit
socio qui erat Nouitius, *Frater mi, bonnum
erit, vt charitas tua post me veniat, & ego, qui
sum magnus, umbram tibi faciam, & defendam
te à sole.* Resistenti autem & excusanti No-
uitio, mandauit vt ita fieret, coactusque fuit
Nouitius, non sine magno suo rubore, sub
umbra illius misericordis arboris charitatis
incedere. Tum Camillus per viam directè
foli se opponens, ita incedebat, vt radij in
ipsum, non in socium inciderent. Quodam
vespere, licet multo imbri depluente, domo
exijt, atque ad Nosocomium ea solùm de
causa se contulit, vt ouum recens pauperi cui-
dam diarrhœa laboranti porrigeret; dicebat
autem, *Si hoc vespere non iuero, quis ouum illud
dabit isti pauperi infirmo?* Nemo erat, qui
cernens illum in medio pauperum, non sum-
moperè eius charitatem modestiæ iunctam
comprobaret, atque aliquid ab eo disceret,
& in aliquo imitaretur. Hinc senex quidam
Florentinus, vir magnæ probitatis, Domini-
cus nomine, qui in Nosocomio S. Spiritus in-
firmorum cauteria componebat, mihi ali-
quando in eodem occurrens Nosocomio,
dixit: *Hanc ego lectionem* (exercendæ scilicet
talis charitatis) *ab illo viro sancto didici, à Pa-
tre vestro Camillo, inquam, & faxit Deus, vt
possim*

possim esse vnus è veris eius discipulis & imi-
 tatoribus ! Anno Domini millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo primo, cùm eius
 Nosocomij, quod ipse in horreo Rhedarum
 construxerat, curam haberet, noctes integras
 in consuendis & paleâ adimplendis culcitrīs,
 ne pauperes in nudo solo decumberent, in-
 sumebat. Anno item millesimo quingente-
 simo nonagesimo octauo, in illa magna Ti-
 beris exundatione, qua se in urbem Romam
 violentus intulit, cùm esset ipse illa nocte,
 cum alijs sex è nostris, in S. Spiritus, nihil ibi
 aliud quàm pauperes humeris suis exceptos,
 ne aquis immergerentur, exportabat, ipse in-
 terim totus madidus & in cœnum ad me-
 diam vsque tibiam immersus, nec plagæ suæ
 nec vllius alterius, præter vnicam pauperum
 curam, memor aut sollicitus. Frequenter
 quoque alios similes subibat labores, partim
 domum verrendo, partim mensas, sedilia,
 culcitrās humeris portando, quin etiam im-
 munditiarum vasa efferendo & expurgando.
 Sæpè in eodem Nosocomio, cùm æstatis
 tempore plurimi pauperes humi iacentes,
 confitendi atque ad lectos transeundi expe-
 ctarent opportunitatem, ipse Crucifixum
 suum manu prætendens, eos modum benè
 confitendi elata voce edocebat, sicque inter-
 dicendum nonnumquam inflammabatur,

vt toto exaudiretur Nosocomio, videreturque reuera vox eius esse quædam tuba homines ad pœnitentiam expergefaciens, erantque eius verba tantæ efficaciam, vt multi istorum pauperum ea peccata intrepidè confiterentur, quæ numquam hæctenus ausi fuerant præ verecundia confiteri: dicerentque Confessarijs, se ad veritatem expromendam, illius senis Patris, qui nunc verba fecisset cohortatione esse commotos. Aliàs in quodam Nosocomio multos intuens pauperes, ob letorum penuriam super palea humi stratos, cum staret diutiùs eos fixè respectans, interroganti cuiusnam, quid ita velut dolens & mœstus staret, respondit: *Ego sto manducans panem doloris, dum ista Iesu Christi membra pati video.* Sparso nonnumquam per idem Nosocomium sermone, Camillum Neapoli Romam reuertisse, & cunctis ea re collatantibus, dixit vnus ex Religiosis qui eum valdè diligebat, *Iam venit depeculator vestiarij,* his verbis innuens, non restatura deinceps in vestiario, neque indusia, neque togas, neque foccos, neque galeros, neque aliud quidpiam rerum eiusmodi; quippe hæc omnia breuè à Camillo sublatum iri, & in pauperes infirmos, qui opus ijs habuerint, iri dispensatum. Verùm quis vmquam recensere valeat, quot ipse ex istis pauperibus adiuuerit, refecerit,

con-

consolatus sit? & quot vicissim ab ijs benedictiones receperit? Quorum non pauci non illum dumtaxat, sed matris quoque (quæ illum peperisset) vterum benedicebant. Quot ipse afflictorum & ærumnas suas mœrentium lacrymas, ex pietatis & miserationis affectu vnâ condolens ac mœrens, absterfit! Quàm multis ad piè moriendum opitulatus est! Quàm multis, post mortem & post Psalmorum legi in morte solitorum recitationem, manibus suis oculos clausit, & vultum operuit, & oblato pro eorum animabus sancto atque immaculato Sacrificio, saluti fuit! Quàm multe priusquam vltimum exhalarent spiritum, ad veram pœnitentiam adduxit, qui deinde cum sancto proposito animam Deo reddiderunt! Quàm multos non ritè confessos, qui in æternam ruebant perniciem, ad extremum redactos articulum, suas integrare confessiones, & alia suscipere Sacramenta monuit, vsit, impetrauit! Quàm multos moribundos pessimis tentationibus incredulitatis, odij, desperationis agitados liberavit, roboravit, ad sentienda meliora reuocauit! Quàm multos pauperes captiuos, & tormentis distortos, qua potuit ope ciboque subleuauit! Et quot illorum morti iam adiudicatos, verbis pietate & humanitate plenis, ad eam patienter sustinendam excitauit

288 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
rauit animauitque! Sed horum aliorumque
similium factorum tam diues & opulentus
fuit, vt præ immensa illorum copia, quæ
quouis tempore & loco designauit, non am-
pliùs in illo viderentur, neque eximia, ne-
que rara.

CAPVT II.

*Camilli erga moribundos in adibus ciuium
priuatis eximia charitas.*

NON solùm erga infirmos in Nosoco-
mijs degentes magna semper ac ferui-
da Camilli beneuolentia humanitasque ex-
stitit, sed par etiam erga ciues priuatis in a-
dibus habitantes charitas misericordiaque
emicuit. Nempe solitus erat dicere, Nosoco-
mia velut mare paruum & mediterraneum
Religioni esse; supremas autem animarum
commendationes, quæ apud moribundos
fiunt, tamquam oceanum vastum & spatio-
sum videri, in quo non reperiatur fundus:
quandoquidem vbiq̃ mors oppetatur. Vn-
de desiderabat, vt sui Religiosi quàm exactis-
simâ in his diligentia versarentur: nec sibi
ipse parcebat, quin sæpiùs tam noctu quàm
diu ad hoc genus charitatis, nulla cuiuscum-
que incommoditatis habita ratione, domo
exiret.

exiret. Erat tamen res multa miseratione digna, videre illum (quamuis sic exulcerata tibia, vt vix eam trahere posset) cum scipione in manu gradus scalarum ascendere, tam celsarum, tam tenebrosarum, tam periculosarum, vt cuicumque iuueni benè sano (non enim dicam seni & saucio, vti ipse erat) terrorem incuterent: hinc sæpiùs accidebat, vt grauiter modò contra dictos gradus impingeret, modò etiam caput ad portæ superliminare (præsertim noctu, quòd staturâ procerus esset) non leuiter offenderet. Fuit, cum Romæ nocte media à quodam moribundo reuertens domum vnà cum P. Scipione Carozza, nec habens lumen, tibiam illam vlcerosam contra iacentem ex transuerso in via trabem (propterea quòd pauimentum instauraretur) tanto cum dolore suo impegerit, vt in terram deciderit tamquam mortuus, vnde vix adiuuante socio in pedes erectus, laudans & benedicens Deum, prout potuit, domum petijt, calceo eiusdem pedis sanguine, qui totâ viâ effluebat, oppleto. Ex quo tempore solebat dicere sic aggrauatam fuisse plagam, vt numquam amplius, quem admodum priùs consueuerat, benè habuerit. Aiebat nihilominùs, se in despectum dæmonis velle noctu adire moribundos, nolens scilicet ab eo vinci, suadensque suis, vt valdè in

T hoc

hoc ipsum attenti vigilantesque essent. Cui rei ut illos magis consuefaceret, nonnumquam ubi nihil opus esset, præsertim ingruente pluuia, aut furente vento, probare alicuius ex illis virtutem volens, mittebat aliquem, qui iuberet eum citò surgere, ad ægrotum aliquem visitandum: cum autem esset vestitus, ei mandabat renuntiari, eius operâ in præsentem opus non esse. Ad ipsum verò quod attingebat, qualiscumque esset tempestas, & quàm tristis aut luctuosa totius anni nox, nihil referebat: quandoquidem iturus omnino esset, quamuis è cælo tonitrua caderent & fulmina. Romæ aliquando ad noctem mediam, & cum supra modum plueret, recordatus est duos è nostris, nempe Alexandrum Gallum & Ioannem Baptistam Contronibus, esse in cuiusdam moribundi domo, & ob ingentem pluuiam non posse ipsis mitti successores: tum igitur illorum misertus, binas à custode vestium iussit afferri penulas, quarum vnâ ipse induit, alteram socio induendam dedit, sicque obiectus, successum Patribus & vigilandi mutatum vices abiit. Ut verò ad eam domum peruenerunt, dici non potest, quantum ipsi omnibus ibi domesticis terrorem attulerint, quippe cernentibus, in morientis cubiculum duos intrare homines ita penulatos, & nescientibus quinam ij essent,

sent, præsertim quòd penulæ illæ albæ essent, cum prælongis cucullis; quibus indutos vicissim Patres duos supra dictos domum remiserunt, ipsi apud moribundum remanserunt. Aliàs media item nocte, & pluuia maxima, vocatis nostris ad morientem adiuuandum (is erat ianitor sancti Paulli Romæ) tum recordatus Camillus verborum Sapientis, *Non te pigeat visitare infirmum*, & arbitratus hoc charitatis officium nimis inuidendum esse, neque alteri committendum, confestim electo exiit, & illuc se confert, neque curæ haber, quòd à S. Magdalenæ vsque ad portam S. Paulli prælongo viæ interuallo eundum sit, sed vadit, continenti licet pluuia madidus, & via lutulenta: permanfit autem apud moribundum vnà cum socio suo, vti venerat, semper madore plenus. Consueuerat dicere, cum Religiosos suos ad hæc sancta opera charitatis incenderet, *Patres & Fratres mei, memores estote vos esse à Deo vocatos, vt aduocati & defensores sitis patrimonij & hereditatis Christi, quæ sunt anima istorum pauperulorum, quos pretioso sanguine suo redemit*. Accidit illi non raro, vt eunti aut redeunti noctu ab aliquo moribundo, lumen per viam vel aquæ pluuia delapsu vel venti impetu extingueretur, vnde necesse habebat, in ea obscuritate incedere per medios profluen-

tes riuulos, & semel sic reuertenti planè ma-
 dido, repertus est campanulæ funis ad por-
 tam ruptus, ita vt debuerit pro foribus plu-
 uiæ expositus multum temporis expectare.
 Quibus in euentis dicere socio solitus erat
 (quod & S. Franciscus olim Fratri Leoni)
*Frater, iam verè fuerimus germani infirmo-
 rum ministri, si ita madefacti & luto inqui-
 nati, vt nunc sumus, coacti fuerimus hic foris
 pernoctare; aut certè si in vicem apertionis
 ostij, ianitor foras prodiens, ira & stomacho
 plenus, quòd suum illi somnum interruperi-
 mus, quadruplici nos fustuario exceperit: tum
 ego sanè dixero, mi Frater, nos verè esse ger-
 manos infirmorum ministros, si ita malè tra-
 ctati patientiam retinuerimus, nihil profusus
 commoti, & ne verbulo quidem queribundi.
 Qua gratia dignetur nos Dominus per suam
 misericordiam afficere, & hæc intelligendi fa-
 cultate condonare.* Monita quædam nostris
 dabat, quæ apud moribundos cupiebat ab ijs
 sedulò obseruari, & hæc speciatim inter alia:
 Vt in moribundi cubiculo nec ploraretur,
 nec rideretur, nec alieni sermones misceren-
 tur, sed omnes in sancto silentio Deum pre-
 carentur, & felicem animæ transitum votis
 exposcerent, vt sæpè sanctissimū Crucifixum
 moribundi oculis obijcerent, & sacra eius
 Vulnera exosculari iuberēt. Vt à mortuorum
 excessu,

excessu, saltem ad spatium Psalmi *Miserere* ter repetiti, vultum operire, aut oculos claudere differrent, quò scilicet de illorum transitu omnino securi essent; dicebat enim, se hoc in negotio rerum admirabilium habere experimenta, sibi que exploratum esse, maiorem moribundorum partem huius defectu observationis interire suffocatos: prætereà, vt infirmis assistentes nec multum loqui laborarent, nec subtilia aut speculatiua depromere curarent, sed tempus partim precationibus impenderent, partim nonnullis rebus piis, siue ad dolorem peccatorum pertinentibus, siue ad firmum propositum Dei numquam deinceps offendendi, siue ad spem diuinæ misericordiæ, siue ad præsentis certaminis tolerantiam, siue ad gloriam Beatorum, siue ad perseuerantiam in fide Catholica, & præ omnibus, ad sanctæ Passionis Iesu Christi meditationem spectantibus. Ac tametsi sæpius inter nostros agitari quæstionem illam difficilem inaudisset, vtrum infirmi in extremo articulo dicta percipiant; ipse tamen tutiori adhærescens sententiæ, cupiebat semper illis aliquid in mentem reuocari, tam ad grauius diaboli tormentum, quàm ad maius silentium ac deuotionem circumstantium. Sanè cum ipse ad alicuius commendandam Deo animam accederet, eam speciatim adhortabatur,

294 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
batur, ad enuntianda idemtidem nomina
sanctissima Iesu & Mariæ, ad inuocandum
Angelum custodem, & eum Sanctum, cuius
se cultui singulariter deuouisset: quæ tanto
efficiebat spiritus feruore, vt viderentur eius
verba ex ardenti quadam charitatis fornace
procedere. Quin & ipsam pulchritudinem
& candorem animarum (ita salutis illarum
captus & accensus amore erat) eum conspe-
xisse diceres. Præcipuè autem sagittis pre-
cationum ignitis vim quodammodò diuinæ
potentiæ faciebat, vt animas non priùs egre-
di corporibus sineret, quàm illis constantem
ad extremum pœnitentiam, hoc est, perfe-
ctum de admissis peccatis dolorem immi-
teret. Et quamuis verba eius omnino sim-
plicia essent ac rudia, tamen mirabiles in cor-
dibus morientium effectus producebant; ita
vt ipsi magnos in vltimo illo ac periculoso
transitu animos gererent. Hinc multi ab eius
præsentiâ opem & robur sperantes habere,
illum apud se, cùm mortis circumdati essent
doloribus, vehementer exoptabant, persuasi
nimirum, illo protegente, nihil sibi cunctas
diaboli legiones esse formidandas. Cùm Ca-
millus morti Illustrissimi Domini Petri Baz-
zani Proregis Samnitium in ciuitate Teatea
interfuisset, Proregina eius vxor idemtidem
deinde prædicabat, nullum se in eiusdem
Domi-



Domini Petri occubitu maius percepisse solatium, quàm ex ea cogitatione, quòd in manibus obiisset Patris Camilli: quem dicta Domina per certum ac singularem curforem vsque à Pato Santoboni (vbi tum noster Pater cum Principe Mario Caracciolo versabatur) aduocarat. Iam autem ad cognoscendum, an moribundi in bono essent an in malo animæ statu, visus est Dominus Deus aliquod ei peculiare lumen ad penetrandas ipsorum conscientias impertisse. Sane quodam die manè, dum ad sancti Spiritus coram sanctissimo Sacramento in meditatione pia versaretur, subito exsurrexit, & neglectis aliis moribundis, rectà ad vnum contendit, qui amisso linguæ vsu proximus morti erat, quem sic est allocutus, *Frater mi, tu moreris: vide num sis benè confessus, alioquin moriens in aliquo peccato, ad inferos in perpetuum damnatus es.* Ad quæ verba admirans vnus ex illis Nosocomij Religiosis qui præstò morienti aderat, secum mussitabat, *Ecquis hic est agendi modus? ab homine semimortuo postulat Confessionem.* Ita quodam velut fastidio inde abscessit, solo ibi Camillo remanente. Denique, Deo sic volente, rediit moribundo sermonis facultas, dixitque, cupere se confiteri. Mox igitur Camillus ad Confessarium currere, eumque depre-

deprecari, vt dare aures confitenti vellet. Hic verò subiratus cœpit cum altero quodam Presbytero etiam miffitare, Camillum hominem esse infatiabilem & fastidiosum, qui vellet infirmos toties iterare Confessiones. Iuit nihilominùs, & inuenit omnino necessariam fuisse illi infirmo Confessionem, quod postea ipse pœnitens palam nostris aperuit, infinitas Deo gratias agens de ingenti beneficio quod ipsi per Camillum præstiterat, addebatque speciatim quinque effluxisse annos, ex quo ritè & integrè confessus non fuisset. Qua ex re attoniti omnes isti Sacerdotes, continere se non poterant quin toto spargerent Nosocomio, Camillum esse magnum Dei seruum, & quem appareret, ad peruidendas & cognoscendas istorum pauperum conscientias, cœlitus esse illuminatum. Ille autem iam dictus infirmus post tres pœnitentiæ horas totus dolore sancto compunctus emigravit. Aliàs in Annuntiata Neapoli quemdam in Nosocomio moribundum institit Camillus interrogare, essetne confessus; ille respondit, esse: sed hoc responso minimè contentus bonus Pater, quemdam sentire sibi in corde stimulum videbatur ampliùs interrogandi vrgendi que, nec, antequam certum exploratum que omnino haberet, desistendi. Sic ergo

apud

apud hominem opportunè importunè egit,
 vt tandem aperta veritate se Turcam esse
 & Baptismi exortem dixerit: confessum qui-
 dem se esse, & sacrae Communionis partici-
 pem fuisse, sed dolo vtili, nempe vt lecto
 Nosocomij donaretur, neu abiectus mise-
 rè interiret. Quibus auditis, vix apud se præ
 dolore fuit Camillus: spem tamen non de-
 posuit hominis adiuuandi, sed toties tam-
 què impensè in eius salutem incubuit, mo-
 nendo, hortando, deprecando, territando,
 vt cum Dei ope & gratia tandem ad Bap-
 tismum atque ad alia Sacramenta hominem
 perduxerit. Ille autem nouem post horis de-
 testando falsum Mahometem, & semper Ie-
 sum & Mariam inuocando, non absque ma-
 nifestis suæ salutis indiciis, ad alteram vitam
 transit. Aliàs in S. Spiritus Romæ, cum
 tempus esset decumbendi, iam se vt in le-
 ctum ascenderet exuerat, & ecce subita
 mentem infilit cogitatio descendendi rursus
 deorsum ad infirmos: resumit igitur vestes,
 descendit, currit inuisum quî se habeant in-
 firmi, vnum reperit iam animam agentem,
 sciscitatur an sit confessus, ille confessum
 quidem respondit, sed sacro immortalitatis
 Pabulo minimè pastum, neque magis sacro
 Oleo perunctum. His ergo Sacramentis da-
 ti iussis, non ampliùs horæ quadrante post

idem infirmus vndiquaque communitus, è viuis excessit. Alia eiusdem generis exempla complura prætereo. Nostris porrò seuerè prohibebat prognostica, & ne vniquam affirmatè horam prædicerent qua moribundi vitam essent relicturi; dicebatque, id in sola Dei mente esse reconditum, & sæpè ipsos cum magno suo rubore & confusione falli posse. Quam in rem suimetipsus proferebat exemplum, qui post longam multorum annorum experientiam, tamen circa mortis horam in non paucis deceptus esset: nempe, cum vigilante se quadam nocte in Nosocomio sancti Spiritus, sex septémve infirmi obierint, quorum nec vni præsens adfuerat, quippe ratus, hunc ante illum mortem appetiturum, ita vt in omnibus deceptus fuerit. Vnde manè vehementer mœrens dicebat: *Tantum est, Fratres mei, vt hac nocte falsus animi fuerim, nec mortis horum pauperulorum veram horam cognoscere potuerim.* Ex quo inferebat, ad huiusmodi notitiam nihil plus valere, quàm continuam patientiam, præsentiam, & perseuerantiam.

CAPVT III.

*Quàm placeat sanctis Angelis officium
adiuuandi moribundos, & quàm è
contrario demonibus displiceat.*

VERùm, vt nostri maiore cum diligentia
ac feruore in ministerium adiuuandi
moribundos incumbant, neu vllis laboribus
(quemadmodum ipse noster Pater desidera-
bat) fatigationibusve parcant, tantummodò
in medium hïc afferam vnum beati Philippi
Nerij fidelissimum testimonium; ex quo fa-
cile intelligi poterit, quàm idem officium
sanctis Angelis placeat: deinde quibusdam
aliis ex aduerso productis exemplis, perinde
licebit cognosci, quàm idem ministerium
dæmonibus displiceat atque inuisum sit. Igi-
tur Philippus Nerius Romæ cum extremo
certamini interesset Domini Virgilij Cre-
scentij Patritij Romani, & raræ pietatis viri,
qui pater fuit Cardinalis Crescentij, dixit
Sacerdoti cuidam è nostris, Claudio Vincen-
tio nomine, qui eidem quoque morienti
præstò erat: *Patres, bono animo ad illud san-
ctum charitatis erga moribundos officium at-
tendite: quoniam ego ad vestram consolatio-
nem vobis refero, vidisse me Angelos Domini
immit-*

immittentes verba in os vnius è vestris, dum
 alterius cuiuspiam morientis (apud quem &
 ego aderam) curâ susceptâ Deo animam com-
 mendaret. Quod testimonium vt à viro tam
 celebri & tam sancto, qualis fuit Philippus
 Neri, profectum, magno cunctis fidelibus,
 & speciatim nostræ Religioni, solatio & vo-
 luptati esse debet. Contra verò nihil est cer-
 tius, quàm id genus charitatis, quod nostri
 erga infirmos & moribundos exhibent, supra
 modum displicere exosumque esse dæmo-
 nibus, quandoquidem non semel, sed sæpius
 impedire omnibus viribus conati sint no-
 strorum ad eiusmodi exercitia euocationem,
 nec non vilem nostram Religionem reddere,
 & quodcumque possent malum ei importare.
 Quod exemplis sequentibus habeo eui-
 denter commonstrare. Erat Romæ femina
 quædam in extremo vitæ articulo cum mor-
 te colluctans: suggerebant aliæ feminæ, quæ
 in eadem domo erant, bonum fore, & ex usu
 ægrotae ad mortem properantis, duos accer-
 siri è nostris Patribus laturus animæ laboran-
 ti suppetias; tum è vicinis vna nescio quæ
 lymphatica & mota sensibus, quæ à cunctis
 nihilominus pro valde pia & Deo deuota ha-
 bebatur, in medium profiliens, *Non est*, in-
 quit, *non est quòd illos accersatis. Ego enim*
ipsa in his rebus usu valeo, cum toties & toties
 alias

alias fecerim. Cui acquiescentibus parentibus, illa statim, siue, vt melius dicam, diabolus in illa reficiendæ moribundæ causam prætexens, tot buccas panis Hispanici in os intrusit, vt non valens misera eas deglutire, miserrimè in omnium præsentia interierit præfoeata atque strangulata, domesticis serò intelligentibus commissam fuisse ouem lupo. Agitedum, quot similia eius charitatis seu homicidij potius facinora deuotam illam lymphaticam patrasse oportuit, quæ se id sæpius factitasse iactauerat? Primis diebus, quibus Bononiæ iaciebantur fundamenta Religionis, bini è nostris templum Cathedrale ingressi, offenderunt inibi hominem adiurari lymphaticum, qui ad primum statim eorum aspectum stans multum admirabundus, *Ecqui sunt, inquit, isti Patres crucem gestantes in pectore?* Respondit Exorcista, duos esse Religiosos nouæ Religionis Bononiam nuper appulsæ, cuius institutum esset infirmis opitulari, & moribundos in supremo vitæ exitu adiuuare. Tum dæmon præ se ferens illos se flocci facere, atque habere ludibrio, *Cui bono, inquit. isti tales? Et quid ista Religio queat in mundo facere? Nam ubi quispiam ad mortis metam venerit, aut bonus fuit in vita sua, aut malus: si bonus, non opus illis habet, cum dicat sanctus Augustinus: Non potest*

potest malè mori, qui rectè vixerit (allegabat
 deinde, multas alias Sanctorum sententias in
 sui argumenti confirmationem) *sin autem è
 contrario malè vixerit, & in tali statu ad ex-
 tremum venerit, neque sic ab his iuuari poterit,
 cum scriptum sit, Vbi te inuenero, ibi te indi-
 cabo.* In quam rem præterea & aliis uteba-
 tur sententiis: vnde efficere nitebatur, hanc
 Religionem minimè mundo esse neces-
 sariam. Verumtamen peritus Exorcista
 cum optimè eius fallaces dolos intellige-
 ret, solis Prophetæ Ezechielis verbis vltus
 eum conuicit: Nam *impietas*, inquit, *impy
 non nocebit ei, in quacumque die conuersus
 fuerit ab impietate sua.* Et illis aliis: *Nolo mor-
 tem morientis, dicit Dominus, reuertimini &
 viuite.* Exemplum quoque produxit bo-
 ni latronis, qui extremâ vitæ horâ peccato-
 rum pœnitens salutem consecutus sit. Quo
 audito se torquens diabolus, & profundissi-
 mum emittens suspirium inclamauit voce
 altissima, *Quàm hoc est verum! quàm hoc est
 verum!* & cum tali Catholica confessione
 obmutuit, nec ampliùs deinceps locutus est.
 Alius quidam à malo spiritu similiter occu-
 patus, ex graui infirmitate in Nosocomio san-
 cti Spiritus Romæ decumbebat: ad quem
 se applicans vnus è nostris, interrogauit, num
 esset peccata confessus; & ecce in linguam

mox

mox insiliens diabolus respondet, nec confes-
 sionem esse, nec velle se ut confiteretur, hoc
 agens scilicet, ut absque poenitentia moreretur,
 & mortuus impoenitens aeternis poenis addi-
 ceretur: tum noster indignatus, *Maledicte*
spiritus, inquit, *spero in Deo te victorem non*
fore; vado enim iam iam accersitum Confessa-
rium. Et ille, *Caue*, inquit, *vadas, poenitebit*
enim te. Egressus tamen noster ut Sacerdo-
 tem accerseret, vix decem passus fecerat,
 cum sensit sibi tam horrendum fustis ictum
 cruribus infligi, ut restiterit immotus tam-
 quam mortuus; sed inuocato sanctissimo
 Iesu nomine, postquam aliquantisper sic
 fuisset compeditus, coepit se non nihil moue-
 re, atque iter inceptum, ut potuit, prosequi,
 & accersere Confessarium. Quibus simul de-
 inde ad infirmum profectis, diaboli eum
 concutientes, ac maiorem in modum tor-
 quentes, illi nostro Fratri dixerunt: *Benè ha-*
bet, benè habet, tu nos excepisti, & nos te exce-
pimus. Possem & alia in idem propositum
 exempla recensere: sed ex his paucis sat cla-
 re cognosci licet, quàm malè hoc diabolus
 habeat, quòd nostri hoc infirmos adiuuan-
 di velut angelico fungantur ministerio.

CA-

CAPVT IV.

Quàm sit necessarium accersere tempore Religiosos ad succurrendum moribundis. Exemplorum aliquot, ad monstrandum quanti id referat, recensio.

CVM tota hominis Christiani salus aut damnatio ab extrema vitæ periodo vel benè vel malè conclusa pendeat, semperque & in æternum manere arbor, vbi cumque ceciderit, debeat, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, quemadmodum à Sapiente dictum est; propterea Pater noster Camillus, cognito quanti id esset momenti, grauer eorum vicem dolebat, qui vel ne infirmis pauorem incuterent, vel quouis alio respectu ab accersendis tempestiuè Religiosis abstinerent, sed tum dumtaxat eos accerserent, cum aut facultas loquendi amissa esset, aut tantum in eos dæmon accepisset dominatum, vt vix locus iis adiuuandis relictus foret. Ac propterea dicere solitus erat, hanc maximam esse persecutionem ac deceptionem, quam comminisci aduersus Congregationem potuerit diabolus, vt absolutum se redderet campi dominum, & victoriam de plurimis animabus sine certamine & puluere obtineret.

Atque

Atque vt eorum quæ bonus Pater dicebat veritas liquidò cognoscatur, paucula de multis exempla breuiter commemorabo, quæ nostris in hoc genere occurrerunt, ex quibus dilucidè cerni poterit, quàm sit moribundis necessaria virorum spiritualium præsentia, & ante omnia, eorumdem tempestiua ad infirmos euocatio. Genus cum per viam quamdam nostri transirent, ecce ad feminam agentem animam subito reuocantur: confestim igitur cubiculum eius ingressi, offendunt ad vltima redactam, & catarrho in superficie oppressam, vt proferre verba vix posset. Interrogata ergo à nostris, vt solet, nullusne in conscientia restaret peccati scrupulus, quo se, antequam vsum amitteret sensuum, liberari ex peteret, respondit: *Pater mi, Deus te huc misit ad salutem meam; scias enim triginta minimum annos iam præterisse, ex quo non credidi mysterium Hostiæ sacratissimæ in altari, semperq; à confitendo me prohibitam esse verecundia: tum Pater maiorem in modum indolens, tam parum sibi suppetere temporis tam graui in necessitate, iuuat quantulumcumque potest, & peccata confiteri iubet. Verùm ipsa moribunda non tantum habuit spatij, quantum vt quinques sanctissimum Iesu nomen inuocaret, quin grauissimo peccati sui dolore atque planctu correpta in alteram*

V vitam

vitam emigrarit, Patre interim supra modum
 attonito de præsentissimo illius animæ peri-
 culo, quæ sine dubio in æternam damnatio-
 nem, si tantillum succurrere Pater distulif-
 set, præceps ibat. Alia quædam vetula Bo-
 noniæ in extremo animæ conflictu sic plan-
 gebat, sic cruciabatur animo, vt suspicionem
 Patri mouerit, eam non integrâ prorsus &
 impollutâ esse conscientiâ, de quo interroga-
 ta respondit: *Heu mihi, Pater, quàm est ve-
 rum quod mihi dicis! Nam triginta duo sunt
 anni, cum vna filia mea in peccatum lapsa ve-
 rum gessit: postquam autem peperisset, ego, ne
 delictum in lucem prodiret, filiolum absque
 Baptismo in puteum abieci, nec umquam id fa-
 cinus confessa sum.* Igitur confiteri è vestigio
 aggressa est, vixq; fecerat Confessione finem,
 cum luctu & mœrore plena vitam deseruit.
 Alia rursus Romæ, similibus in vitæ angu-
 stiis mortem expectans, vni è nostris, qui il-
 lam ad benè moriendum adiuuabat, dixit:
*Pater mi, viginti iam abiere anni, quibus totis,
 ego huius quem hîc vides (erat ille præsens)
 fui concubina; ac licet quauis die Dominica
 Confessionis & Communionis Sacramentis usa
 sim, peccatum tamen illud numquam aperui.* Il-
 la ergo, vix suppetente tempore quo actus
 doloris, quos eam Pater edocebat, discere
 & expromere valeret, statim vt sanctam re-
 cepit

cepit absolutionem, exuto corpore abiit. Quidam Romæ litterarum studiosus, annos haud minùs quindecim à Confessione Sacramento abstinerat: hic ad vitæ metam perductus induci non poterat; vt æquanimitè imminentem subiret mortem, sed prorsus statuerat obire desperatus: verùm euocati ad illum nostri tantum apud eum effecerunt, vt animæ labes Confessione tandem eluerit, nec multò post cum maximis veræ pœnitentiæ indiciis vitam exuerit: è quibus indiciis vnum hoc fuit, quòd Patre exiguam illi imponente pœnitentiam (eo scilicet consilio, vt posset antè mortem eam exsoluere) nequaquam admiserit, sed velle se multò maximam professus sit, qualem tametsi in hoc mundo exequi se posse totam diffideret, tamen absoluturum se in altero promittebat. Ita coactus fuit Pater in hoc ei facerè fatis, & grauem ei pœnitentiam iniungere, quam in charta descriptam ei præbuit, ipse autem ad collum suum alligauit, professus se ita velle coram diuino tribunali in pœnitentiæ signum comparere. Igitur cum tali pretioso monili ad pectus dependulo expirauit. Quidam vir nobilis sine Confessione moriebatur, eo tantùm nomine, quòd nollet magnam librorum prohibitorum copiam tradere, quos habebat charissimos, & omnes

308 VITÆ P. CAMILLI DE LËLLIS
benè compactos & inauratos. Nostri ad eius
accedentes lectum, inuenerunt eum, licet iam
iam morientem, corde & linguâ semper istis
affixû libris: quicum aliquamdiu colluctati,
tandem cum diuino adiutorio ad Confessio-
nem perduxerunt: deinde cum non posset
temporis penuriâ signum aliud poenitentiae
commonstrare, permisit, urgente Patre, com-
buri in sua praesentia vnum è libris omnibus
sibi charissimum, hoc est, Aretinum: cuius
adustionem (cum Pater sigillatim auulsum
quodque folium in ignem mitteret) tanto
suo cum dolore respectabat moriens, vt flen-
do & suspirando diceret: *Heu, mi Pater, quan-
tum diabolus cordi meo inurit dolorem, dum
exuri librum istum video!* Postquam verò to-
tus exustus fuit, tam æquo fuit animo, vt Pa-
trem benignissimè amplexans dixerit: *Plus
fecit tua Reuerentia, mihi persuadens vt hunc
librum adurerem, quàm Alexander Magnus
fecerit mundum subiugans vniuersum.* Post-
eà cum tandem constituisset, vt statim à sua
morte omnes isti libri vel traderentur, vel
amburerentur, sancto perunctus Oleo, haud
inuitus, immò optimè contentus, mortem
obiit. Alius quidam moribundus, arte auri-
fex, & litterarum omnium expertus, circa om-
nia sanctæ Fidei mysteria, & speciatim circa
sanctissimæ Trinitatis, valdè minutim ten-
ta-

tatus fuit : vnde respondere tentationi volens, ad tantam redactus est confusionem, vt inciperet quasi vacillare : sed nostris ad eum profectis, maiores animos ex eorum resumpsit præsentia : à quibus admonitus, vt nihil amplius iisdem tentationibus responderet, sed animum tantummodò ad meditationem sanctæ Christi Passionis applicaret, nihil repugnans obediuit. Itaque expedita hoc modo anima, è difficili quæstionum labyrintho ad alteram vitam feliciter transit. Ex his igitur exemplis clarè perspicitur, quàm necessaria sit Religiosorum societas atque præsentia, adeoque sollicita eorundem ad infirmos (vti Camillus desiderabat) euocatio, qui & manifestum esse dicebat maligni spiritus dolum, existimare infirmos ex virorum spiritualium præsentia pauorem concepturos; immò potiùs consolationem, inquebat, & alacritatem. Sed etiam si ita esset, vt aliquem pauorem conciperent, solebat idem dicere, rationem animæ habendam potiùs quàm corporis, aut cuiuscumque ipsorum timoris ac pauoris : præsertim cum firmus certi, diuinam bonitatem suis seruis in illo vltimo actu tantam indere gratiam & dexteritatem, vt non modò non territent, sed etiam ac longè magis suauiter quodammodo & scita venustate ad eos, quò velint, per-

trahendos consolentur, atque exhilarent. Ita
 aliquando cuidam è nostris Patribus accidit,
 dum viri nobilis extremo agoni assisteret,
 Hunc nobilem ita dæmonium mutum ad-
 strinxerat, & quasi elinguem reddiderat, ut
 multis Religiosis, qui eum consolatum &
 exhortatum ad Confessionem venerant, ne
 verbo quidem vno responderet. Rebus ita
 habentibus, ad nostros tamquam ad vlti-
 mum remedium recursum est. Illi ergo (qui
 ad hanc vsque horam, præ metu ne illum
 terrefacerent, intromissi non fuerant) mori-
 bundo appropinquantes, in statu iam dicto
 cum eum reperissent, Pater animaduertens,
 nullo prorsus modo adduci eum posse ut
 spiritualia loquentibus aures daret, versara-
 tione sermonem de hilaribus aggreditur, de
 venationibus, de aquis frigidis, de hortis, at-
 que inter alia sciscitatur, num illi gratum
 foret resonante testudine musicos audi-
 re cantus. Ad hanc vocem aperit infir-
 mus oculos, & respondet gratum fore. Igi-
 tur confestim vnus è domesticis aduoca-
 tus est, quo pulsante & canente captat Pater
 occasionem dexterè aggrediendi sermonem
 de cæli gaudiis, de gloria Beatorum: fuitque
 eiusmodi per Dei gratiam hæc sermocina-
 tio, ut serio expergefactus infirmus è morti-
 fero suo veterno, tandem cum planctu ania-
 rissimo

rissimo Confessionem instituerit, Eucharisti-
 am sumpserit, Oleo sancto inunctus fuerit,
 & breuè postea ad Dominum transierit. Ecce
 quomodo Religiosi nec contristant, nec ter-
 rificant, sed potius exhilarant, & infirmorum
 mororem leuant. Id quidem verum esse fa-
 teor, voluisse Camillum, vt sui pro offerenti-
 bus se occasionibus scirent & ferro nonnum-
 quam vti, & minarum flammæ, & verbo-
 rum acrimonia, quibus etiam non pauci ad
 Deum sunt conuersi. Exemplo erit vir qui-
 dam nobilis & egregius Centurio, qui vt ge-
 nerosus minimeque degener haberetur, at-
 que vt animi inuicti, & ab omni mortis metu
 remotissimi censeretur, neque confessus erat,
 neque volebat confiteri. Itaque adducti ad
 illum nostri, offenderunt eum in præsentissi-
 mo esse mortis periculo, sed ita obstinatum,
 vt ob dictâ causam non videretur operæpre-
 tum ei Confessionis facere mentionē. Cer-
 tens tunc Pater amica monita nihil apud il-
 lum habere ponderis, aliam statuit insilere
 viam. Itaque magno Crucifixo è vicini tem-
 pli pulpito ad se afferri iussu, accessit cum illo
 ad moribundi lectum, & prehensam eius
 cesariem fortiter trahens, elataque voce
 eum increpans, *Aperi, inquit, oculos homo
 damnate, & aternis addicte ignibus, aperi ocu-
 los.* Nec mora, aperit ille oculos, & magnum

312 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
illum atque sanctissimum Crucifixum cor-
ram se videns ita territus est, vt hoc aspectu
ad cordis eius intima penetrante totus muta-
tus, à Patre poposcerit, vt per eiusdem Do-
mini amorem pro se in Cruce mortui, de pec-
catis confitentem audire vellet. Quod cum
extemplò Pater fecisset, ac præterea sanctissi-
mum ei Viaticum extremamque Vnctio-
nem statim exhiberi mandasset, ille his per-
functus munitusque mysteriis, ex hac vita
multis cum lacrymis emigravit.

C A P V T V.

Quedam alia exempla eòdem spectantia.

SEd quoniam similiarum exemplorum plu-
rima mihi relinquenda sunt, quorum vel
centena referre possim, ego qui longos in his
discursus sponte declino, tantum in præsen-
tia quædam alterius generis commemorabo,
hoc est, hominum in peccatis suis obstinato
non confitendi animo mortuorum: ad quos
si aduocati tempestiuè fuissent Religiosi,
quemadmodum Camillus desiderabat, haud
difficile fuisset eos cum Dei auxilio tantis
malis eximere, vt in supradictis ostensum est:
sed cum id factum non fuerit, ita mortui
sunt, vt nunc monstrabitur. Clemente Octa-
uo Pontifice, quidam famulus Romæ extra
portam

portam Angelicam infirmabatur ad mortem: is statim atque nostros conspexit, quaesivit quidnam sibi vellent; illi responderunt, se ad eum adiuuandum in periculoso illo vitae transitu, qui iam instaret, accersitos esse: ut nimirum conficere illud iter (quemadmodum decet bonum Christianum) feliciter possiet. Tum ille: *Quid hoc rei est, inquit, Christianus?* Et quamuis homo esset maxime rudis & idiota, tamen tam horrenda, tam monstrosa in fidem Christianam euomebat, ut appareret non ipsummet loqui, sed in ipso daemionium: & quia Patres ad poenitentiam eum hortabantur, ipse, ne illorum audiret verba sapienter incantantia, totus inuocandis tribus diabolorum sibi familiarium nominibus intendebat. Verum, nostris ad persuadendam illi poenitentiam perseuerantibus, ipse mirum in modum excandescens (quasi vellet ut nostri ipsis suis oculis cernerent ipsum esse damnatum, nec vllum amplius sibi superesse tempus poenitentiae) eleuauit se, ut super lectum sederet, atque ad cubiculi sui fenestram conuersus, praesalta ac terribili voce coepit vociferari, & inuocare tria iam dicta diabolorum nomina, quibus ter inuocatis, & semper altiori atque altiori voce iuxta & terribiliori, ad extremum exerta foras ad palmum vnum linguam, & ore colloque

V s contor-

contorto miserrimè periit: cuius corpus tantum tetrum tamque fœtidum ibi restitit, ut totum illud cubiculum, in quo erat, sua peste infecerit. Nimirum id signi fuit, verè ipsius animam in inferni profundum esse demersam. In Patrum autem ex ea domo discessu, à multis eius viciniae illis indicatum est, istum hominem inter alia malæ vitæ probra, templum ingredi numquam ab vllò visum esse. Interfuit porrò huic nimis funesto casui Pater Octavius à Pace. Veniamus ad aliud. Genus avarus quidam senex, annos natus nonaginta quinque, ad extremam vitæ lineam peruenerat; cum nostri ad illum ingressi offenderunt eum habentem ad lectum, in quo iacebat, sacculum pecuniarum, & alteram item crumenam brachio alligatam, quam idemtidem exiguis interuallis, præ metu ne sublata esset, manu contrectabat. Hunc cum nostri commonuissent, tantam auri cupiditatem perquam ei periculosam esse, ac verendum omnino, ne ipsum ad infernum precipitaret, respondit ille breuiter, *Non possum aliter facere*: quo dicto, cum suis idolis in lecto retentis animam expuit. Erat Romæ femina quædam nobilis, sed vitæ admodum peruersæ, quæ meretriciam quidem publicè non profitebatur, sed tamen in sui concubiniædibus & nunc habitabat, & iam moriebatur.

r. Tam serò autem ad illam vocati sunt
 nostri, vt non cuperet ipsa, nec posset aliud
 dicere, nisi id vnum, *Exuror, exuror*. Talia
 verò, & tam fœda oculis & totu vultu signa
 edebat, ac si deformia ac visu horrenda in-
 tueretur. Nam cùm solutas haberet comas,
 & sic in capite se erigebant, vt viderentur esse
 serpentes. Quo etiam ipsi Patres conterriti,
 haud officio defuerunt, quin & precati-
 bus & admonitionibus afflictæ illius ani-
 mum ad spem diuinæ misericordiæ conaren-
 tur subleuare. Verùm illa nihil aliud, quàm
 ululatus & suspiria emittens, semperque ite-
 rans, *Exuror, exuror*, vitam destituit. Cui in
 ipso excessus articulo exijt e ventre frustum
 carnis, tam crassum & tam ignitum, vt follis
 igneus esse videretur. Neapoli quidam cer-
 do concubinus, morti iam vicinus confiteri
 peccata renuebat. Quo mox expiraturus, lu-
 cerna quæ cubiculo lumen dabat, bis absque
 vlla causa extincta est: quam cùm accendi
 iam tertium Pater mandasset, oleumque &
 ignem benedixisset, non amplius extincta
 est. Sed quid? Dum ipse moribundus extre-
 mos emittens halitus morti succumbit, ecce
 de repente & ex improviso, & cum ingenti
 Patrum pauore, omnes scutellæ figlinæ, alia-
 que ex eodem opere vasa quæ domi erant,
 decidunt, & confringuntur: quorum vaso-
 rum

316 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
rum frustra videbantur motu quodam inad-
spectabili in corpus & faciem ipsam morien-
tis attractâ esse: qui isto pacto lapidatus, post
fœdissima signa vultu expressa, infeliciter
exhalauit.

Romæ vir quidam nobilis dum sanus es-
set, ita vitio gulæ & intemperantiæ supra
omnem modum addictus erat, vt dicerent
eius domestici, inter alia huius generis facino-
ra, illum aliquando in solius capreoli condi-
menta decem aureos nummos expendisse.
Hic igitur in extremo fugientis vitæ stadio
constitutus, tam horrenda in Deum iacere
conuitia est aggressus, vt timor esset adstan-
tibus, ne domus illa dehisceret: laborantibus
autem non parum nostris Patribus, vti ab
ista blasphemandi insania desisteret, ad ex-
tremum eis ita respondit: *Quid enim vestra
interest, si ego ad inferos vado?* & his dictis,
hærente adhuc in ore quadam alia è superio-
ribus blasphemia, maledicentissimum effla-
uit spiritum.

Cuiuspiam alteri in vrbe eadem Roma ma-
lum quodpiam euenerat repentinum: is sen-
tiebat se (& ita cuncti videbant) inuiso quo-
dam & occulto modo pedibus lecto extrahi:
vnde aliqui vicinorum iudicabant bonum
factum, accersere Sacerdotem quempiam,
qui auxilio esset: respondit infirmus id non
esse

esse faciendum, quippe qui iam esset diabolis
 atque eo pacto cum totus fuisset è lecto ex-
 tractus, periit miserimè. nam postea digito
 manus ipsius inuenta est imago dæmonij al-
 ligata. Quocircà concludo, omnes supra di-
 ctos haud difficili negotio cum Dei gratia
 potuisse adduci ad pœnitentiam, si in princi-
 pio infirmitatis ipsorum, aut saltem non om-
 nino ad extremum, Sacerdotes & Religiosi
 fuissent ad eorum suppetias accersiti. Non
 ita cum mille aliis simplicibus in Nosoco-
 miis, & in aliis pauperum ædiculis actum est:
 qui nullo nostrorum metu concussi, tam be-
 nè & tam salutariter ad mortem se compa-
 rarunt, vt ea veniente præ gaudio exulta-
 rent, perinde quasi ad felices in cælo nuptias
 vocarentur. Quorum licet plurima exempla
 in medium afferri possent, vitandi tamen fa-
 stidij lectorum causâ, pauculis tantùm ero
 contentus. Quidam homo rusticanus Ro-
 mæ in Nosocomio sancti Spiritus, cum ad
 alteram vitam (à qua non longè aberat) ac-
 cingeretur, dixit Patri ad eius opem assisten-
 ti: *Age, mi Pater, da iam mihi aliquid in man-
 datis: nam tempus nunc est quo discedam in pa-
 radisum.* Nihil ei respondit Pater aliud, nisi,
*Memineris, quæso, pro me orare, quando in
 aliam beatissimam cæli patriam veneris.* Sub-
 iecit infirmus, libenter se facturum: deinde
 vultu

318 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
vultu quàm hilarissimo, *Vale*, inquit, *Pater*,
donec nos rursus videamus, & inuocato sa-
pius nomine Iesu & Maria animam Deo
reddidit. Eius autem manus qua crucem ve-
stimenti eiusdem Patris apprehenderat, tam
validè etiam post mortem illi adhæsit, ut
agrè auelli posset.

Alius quidam infirmus in Xenodochio
Annuntiatae Neapoli, dum esset in procinctu
ad beatam vitam, non modò propter verba
quæ de rebus cælestibus diuinè profunde-
bat, Angelus videbatur, sed etiam transitu
suo iam proximus, maxima circumfusus lu-
ce, & medius in ea feliciter ad Dominum
euolauit. Propterea dicebat Camillus, longè
esse satius ac securius, mori pauperem & bene
preparatum in Nosocomijs, quàm diui-
tem & malè dispositum in celsis Principum
palatijs.

Femina quæpiam in vrbe, bonorum for-
tunæ pauper & indiga, sed cælestium & æter-
norum diues, cum à Patre nostro Camillo
ad piè moriendum instrueretur, tanto se desi-
derio teneri ostendebat è carcere carnis huius
discedendi, ut maxima cum lætitia & exul-
tatione obierit. In ipso enim extremo vitæ
transitu dum legeretur, *Subuenite Sancti Dei*,
occurrite Angeli Domini, quamuis iam obij-
se videretur, tamen velut in vitam reuocata,

cepit

cepit sensim per sese in lecto assurgere, deinde ad sedendum se componere, quo facto, & iunctis simul manibus, capite omnes circumstantes salutavit singulatim: tum sublatis ad cælum oculis, rursus quatuor aut quinque personas, quæ ab aliis non cernebantur, salutavit: postremò in lectum, sicut prius erat, relapsa sponte & suaviter, ac nominibus Iesu & Mariæ dulciter inuocatis, ridenti ac festivo vultu ad cælorum gaudia demigravit. Porro Camillus pro ingenti bono duxit, & in maximi solatij loco habuit, interfuisse tam sanctæ feminæ excessui, cepitque ex signis coniecturam, salutasse tum illam Sanctos aliquos, quorum fuisset studiosa, aut certè Angelos, qui partim auxilium præbituri, partim ad cælos comitaturi aduenissent.

Alia quædam Romæ virguncula, annos circiter sexdecim nata, Ioanna nomine, immani dolore pectoris excruciatâ, inter moriendum semper os tenebat applicitum dulcissimo lateri Crucifixi, & canebat dicens, *Iesu, Iesu, Iesu, cor meum accipias, nec amplius reddas.* Quæ etiam verba usurpare solitus fertur in suo ad cælos transitu beatus ille Felix Capuccinus. Deinde illa dulcem suam cantiunculam ita finiebat: *Per brachia rogo te, quæ tetendisti in Cruce, peccata mi remitte.* Quibus in ore resonantibus, solutam corpore

re animulam ad Deum emisit. De hac virguncula retulit postmodum sua mater, à morte illius impositam fuisse eius capiti coronam floream, & corpori multos calyces roseos iniectos, qui vt primùm attigere castissimum corpus eiusdem adolescentulæ, statim aperiri cœperint, & breuî pòst pulcherrimæ rosæ extiterint. Ita eius mater insigni probitate femina enarrauit.

Atque hæc ad eorum confusionem dicta sint, qui vicini morti, vnum nescio quem sibi assistere morionem malunt risus & cachinnos mouentem, quàm pium aliquem Religiosum planctus peccatorum euocantem. Ita nimirum viri spirituales ab illis parui fiunt & negliguntur, tamquam qui pauorem & terrorem sint incussuri. Vnde sæpiùs eos non intromittunt, vel somnum aut meliorem valetudinem opponentes, retrò abire iubent: obtinente scilicet apud eos, quidquid voluerit, dæmonio. Nam ijdem Religiosi alio tempore reuersi, vel mortuos audiunt, vel sermonis vsu defectos offendunt, vt verè de illis dici possit ille Moysis versiculus: *Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent!* Dominus eos illuminet.

CAPVT VI.

Camilli charitas erga omnes alios pauperes, mendicos, carcere inclusos, orphanos, viduas, pupillos, quin & erga ipsa animalia.

Tanta erat Camilli & tam latè patens charitas, vt non modò infirmos & moribundos, sed etiam generatim quoscumque alios pauperes & miserabiles, insigni suæ pietatis ac benevolentiaë sinu complecteretur. Hinc plerumque cum terrâ iter ageret, solebat omnibus qui occurrerent pauperibus stipem dare. Quam in rem socio mandabat, vt sacculum panum ab ephippio suspenderet. Si quem ergo pauperè peregrinum, infirmum, aut hospitio egentem in via offenderet, statim illi equum & diuersorium procurabat: deinde manè pecuniam hospiti (vt quondam ille Samaritanus) qui eius curam haberet, relinquebat. Si item quempiam, vel Sacerdotem vel Religiosum (quorum erat semper obseruantissimus) per iter reperiret, quamuis infirmi non essent, ipse tamen interdum ex equo descendens, aut aliquos è suis descendere imperans, illos iubebat ascendere, aut si ipsi fortè repugnarent, eos sancta quadam

X

vio-

violentiâ adurgebat, partim precando, partim mandando, ut vel in virtute saltem obedientiæ oblatam admitterent charitatem. Accidit verò nonnumquam, eorum aliquos tam imprudenter & inconsideratè eius abuti humanitate, ut præeuntes duobus tribusve miliaribus illum post se desererent, sequente interim pedibus bono Patre per loca lutosa & montosa cum non mediocri suo incommodo, propter vlcus tibiæ. Cùm verò mariter in triremibus ageret, ut plurimum scire auebat, num qui in illis essent infirmi, quos & visitabat, aut à socio visitandos curabat, quibusque omnia prouideri necessaria iubebat, licet Turcæ aut infideles essent, immò & suum ipsius viaticum non rarò illis dispensabat. Quibusdam illorum miserorum ad triemes condemnatorum, dicentibus se esse Sacerdotes, ac libenter diuinum Officium nonnumquam recituros, si vel Breuiarij vel conspicillorum suppeteret sibi copia, ipse, quamprimùm alicubi ad terram appulisset, hæc eis coëmebat. Sed illis alia quàm dicerent cogitantibus, & Breuiaria sua non multò postea diuidentibus, ipse re ad se delata, denuò iubebat alia ipsis comparari, & illis tradi; non valens neque volens inducere in animum, eos dolo malo id facere, sed sola fame aliave necessitate compulsos. Sæpè cùm

nonnulli propter aliquam culpam fustuarium passuri essent, ipse intercedens medius adeò preces precibus aggerabat, vt denique veniam illis impetraret. Confitebatur porrò Sacerdoti non infrequenter (& socium quoque vt idem confiteretur, commonebat) quòd scilicet cum crudelibus quibusdam remigum Præfectis (qui pauperes Religiosos ad triremes damnatos fustibus absque causa exciperent) sermones miscuisset, nempe percussus metu excommunicationis, quam agentes cum talibus solent incurrere: propter quem conscientiaè scrupulum sæpissimè etiam cum iis loqui refugiebat. Confecto autem itinere, in more habebat iisdem pauperibus stipem aliquam impertiri, nec raro ad eos mittebat è supellectile domestica calceos, indusia, femoralia, aliaque eiusmodi vestimenta, quæ illi ab ipso efflagitauerant. Iis verò mendicis qui ad portam domus accedebant, certum iubebat dari numerum panum, atque etiam totum iusculum quod domi supererat, quam stipem suis ipse manibus sæpenumerò distribuebat. Genuæ cum ad eum delatum esset, domus Præfectum statuisse, vt panis ad portam amplius non daretur, non mediocriter indignatus, eundem Præfectum satis asperè increpuit, dicens: *Quid? an vos fortè istas effodistis, & labore*

vestro conquiſiſtiſtis eleëmofynas? Atqui ego vo-
 bis dico, ſi vos pauperibus non benefeceritis, ne-
 que Deus benefaciet vobis, & in illa mortis
 veſtræ hora eadem menſurâ vobis remetietur,
 qua his pauperibus menſi fueritis. Eſt autem
 in eadem ipſa domo crebris obſeruatam ex-
 perimentis, tum abundanter res proueniſſe,
 cum eleëmofyna ad portam daretur; non
 veniſſe, cum non daretur. Solebat ergo ad id
 propoſitum dicere: *Confide in Deo puſillani-
 mis, & mitte panem tuum ſuper aquas tranſi-
 euntes præſentis vitæ, & poſt non multa tem-
 pora inuenies illum in mari vitæ æternæ.* Cum
 pauperem quempiam errabundum lacerum-
 que per viam offenderet, idemtidem illum
 inuitans ac poſt ſe trahens, tandem domum
 uſque deducebat: ubi veteribus indumentis
 donatum, aut iis quæ habebat lotis ac reſar-
 tis, lætitia & conſolatione plenum remitte-
 bat. Adedò vir mitis ac miſericors ſufferre non
 poterat, pauperum nudam carnem oculis pa-
 tentem intueri. Frequenter diebus Feſtis ad
 inopes carcere concluſos manticas panibus
 plenas mittebat: aliis autem diebus etiam ad
 eos tondendos, aliaque ſimilia charitatis
 opera itidem allegabat. Si fortè in quapiam
 domo ciuitatis viduam aliquam, aut alios
 pauperes orphanos in magna eſſe rerum ne-
 ceſſitate intelligeret, conſeſtim omne genus
 chari-

charitatis illò deferri procurabat. Aliquan-
do Romæ acciti nostri ad opitulandum cui-
dam homini moribundo, inuenerunt in vno
eodemque lecto ægrotantes, maritum, coniu-
gem, & paruam filiolum, tanta omnes mise-
ria atque paupertate pressos, vt iam triduum
ieiuni persisterent. Quod admirati Patres,
sciscitati sunt, quonam pacto vitam illo tri-
duo sustentassent; tum mulier lacrymabun-
da, & præ debilitate vix loqui valens, ita re-
spondit: *Patres mei, quamuis eò redacta sim
arumnarum, quò videtis, & præter ossa & pel-
lem vix mihi quidquam sit super, tamen ad
maritum meum in vita conseruandum toto hoc
triduo, lac illi è mamillis meis in os expressi,
sed in presenti amplius non possum, & hæc di-
cens, mammas ostendebat iam lacte vacuas,
& planè exsuccas. Qua re intellecta, statim
Camillus eosdem Patres redire, vnde vene-
rant, iussit, & secum deportare panem recen-
tem, oua, ius gallinaceum, pecuniam, vinum,
ligna, carbones; tamque diu illis continuari
hæc subsidia voluit, donec tota hæc pauper-
cula familia reuixit, & seruata est. Consue-
uerat etiam illum Dauidis verticulum idem-
tidem iterare: *Beatus vir, qui intelligit super
egenum & pauperem: in die mala liberabit
eum Dominus; intelligendo per illam diem
malam, horam mortis. Vsurpabat item fre-**

quenter in suis colloquiis ista alia sancti Iacobi verba: *Hæc est vera Religio, visitare pupillos & orphanos, & custodire se immaculatum ab hoc sæculo.* Denique cor illi erat tantæ erga indigos pietatis, vt dicere esset solitus: cum pauperes in mundo non reperirentur, oportere homines ad eos inuestigandos, & de sub terra eruendos, benè illis faciendi, & misericordiam exhibendi gratiâ, sese impendere. Sed quid de hominibus dico? quandoquidem & simplicium atque innocuorum animalium quadam velut miseratione tangeretur. Quodam tempore dum peteret Samnium, offendit in via paruulum agnellum modò natum, qui, vpilionibus huius noui partus ignaris, in quadam fossa iacebat derelictus. Igitur Camillus eius audito balatu, & innocentis Agnelli Iesu memor, ex equo descendit, in manus accipit, sinu fouet, eumque recalificans benignè habet, donec pastores affecutus ipsis dedit. Aliàs Romæ, cum vngues cuidam antiquæ feli domesticæ refecti essent (coquis videlicet nescio quid damni ab ea illatum in culina incusantibus) ipse defluentem è pedibus cruorem intuens, ex quodam benignitatis affectu adhiberi medicamen voluit, adeoque rescire studuit, equisnam eius auctor facinoris extitisset: sed sciri numquam potuit. Idem aliquando

animaduertens, vnum è Patribus ex morbo conualescentem ad solis radios bacillo formicas macstantem, ferò admonuit, ne macstaret, opus enim Dei esse: cui cum respondisset Pater, multis non esse charum hoc animal, vtpote proprietarium, atque æstate in hiemem sollicitum ac prouidum: *Atqui propter hoc, inquit Camillus, macstari non debet; cum exemplum nobis prabeat, vti & Sapiens dicit, prouidenda nobis esse bona opera in hac vita, vt reperiamus in altera, præsertim cum nobis frigidissima mortis hiems superincumbat.* Ita ipse ab ipsis vsque formicis bonorum ac sanctorum operum addiscebat colligebatque disciplinam.

CAPVT VII.

Quo amore Camillus sanctam Paupertatem profecutus sit.

ITa Camillus sanctam paupertatem admauit, vt pluris eam æstimaret, magisque illa delectaretur, quàm soleant homines auariti multis, quas acquisuerint, diuitiis. Hinc vilibus utebatur plerumque vestibus, nec curabat si aut veteres essent aut refartæ, ac sæpenumerò dicere solitus erat: *Panniculi super panniculos; nec enim pulchra vestis, sed bona*
X 4 opera

328. VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
opera bonum faciunt Religiosum. Vnde Patres
non parum laborabant, vt noua illi vesti-
menta, quæ ipso insciente fecerant, ingere-
rent: siquidem noctu vetera clandestinò sub-
ducebant, & in eorum locum noua submit-
tebant: semelque euenit, vt Ferrariæ dicta
noua vestimenta Iudæis vendiderit, quò do-
mus paupertati subueniret. Magna nihilo-
minus munditiei cura illi inerat, tamen si ferè
continuò inter oleum & vnguenta, & eius-
modi alia pingua in Nosocomio versaretur.
Vnius dumtaxat rei bonam visus est copiam
admittere, nempe panniculorum, fasciarum,
& filorum, quorum permagnus ei erat vsus,
ob multam sanie ex ipsius plaga tibie pro-
rumpentem: ita vt nullum ei accideret gra-
tius donum domos visitanti, quàm si qua
pyxidis talium referta congerie offerretur. Cu-
iusmodi reculas multæ illustres feminae suis
apparabant manibus, eique conseruabant.
Ceteroqui adeò fuit alienorum habendo-
rum inimicus, vt instar cæci Tobie, hædi bal-
lantis vocem inaudientis, obseruaret, atque
in perpetua vigilia staret, ne quid alienum in
Ædes religiosas intraret. Qua etiam de caus-
sa stipes opulentas retrò nonnumquam ad
largiores remisit, veritus, ne aliquo errore
ranta largitas obueneret. Semel Francisco
Lapis Procuratori nostro in vrbe Roma de-
derat

derat Dominus Camillus Rinuccinus in stipem quoddam chartaceū inuolucrum centenis suffultum aureis coronatis, quod vt ad se deportatum vidit Camillus, timens ne aliquis hīc subesset error (propterea quod idem benefactor tantam non esset solitus dare eleēmosynam menstruam) referri quā cītissimē iussit. Quod vir nobilis boni consules, neque vtrū scienter an inscienter misisset indicans, reportari mandauit domum, & dici Camillo, vt ex ipsius amore eo frueretur: quin, nī me fugit memoria, etiam aliquos alios nomine istius fidelitatis superaddidit. Qua primū vice idem Procurator Dominum Nicolaum ab Angelis Advocatum Consistorialem adiit stipem postulatam, hic immissa in sacculum manu duos testones eduxit, eiūque dedit: reuersus autem domum Procurator, reperit vltra dictos testones separatim vnum duplicem ducatum Hispanicum. Quod cū Camillo similiter visum esset errore accidisse, curauit confessim referendum. Et verē ita acciderat: nec enim aliud se Nicolaus dedisse autumabat, quā binos testones. Vnde isto fidei & sinceritatis exemplo delectatus, supra dictum ducatum, quem tum sciens & prudens dedit, etiam addidit, vt singulis deinceps mensibus ad nouas semper eleēmosynas reuerteretur:

X s

atque

atque adeò ex illa hora se perpetuum huius Religionis benefactorem professus est, uti reuerà fuit. Quin & tam Camilli studiosus in posterum extitit, ut ad primum eius aspectum statim in genua accidens, benedictionem postularet. Sæpius item afferente eodem Procuratore ditiores eleëmofynas, interrogare solitus erat, quinam eas dedissent, & respondenti, *Talis & talis vir primarius, propterea quòd dixissem nos in grandi esse necessitate*: tum Camillus acri adhibita reprehensione, illum è vestigio remittebat eleëmofynam relatum, dicebatque: *Vade, & dic illi, nos quidem sanè versari in necessitate, sed non in grandi necessitate, quemadmodum dixisti*: volens ut vocem illam *grandi* reuocaret, ratus scilicet eam efficere mendacium, nec posse se integra & innocente conscientia dictam stipem retinere. Cuiusmodi factum erat ipsis benefactoribus admirationi & exemplo, Procuratori autem acceptas reportare eleëmofynas adacto, vehementi pudori ac verecundiæ. Dum noctu vigilias ageret Camillus in Nosocomio S. Spiritus, tanta tangebatur Religione contingendi res eius Nosocomij, ut ne gustare quidem aquam decoctam sustineret, quam totâ Româ quaesitam huc mittebat. Prætereà cum apud moribundum quempiam diuinum recitaret Officium,

ficium, nolebat ipsius Nosocomij oleum in-
 sumere, sed aliud domo afferri eam in rem
 speciatim in mandatis dabat: immò in tãtas
 deuenerat timoris argutias, vt ne quidem ad
 lumen lampadis, quæ accensa coram altari
 B. Virginis semper collucebat, idem legere
 Officium ausus esset. Insuper verò cum ibidẽ
 loci Sacris operaretur, socio mandauerat, ne
 facem accenderet, nisi proximè ante con-
 secrationem, quam & proximè post sancti
 calicis eleuationẽ extingueret: quamuis do-
 mi nostræ aliter faceret, velletque accensam
 relinqui vsque ad totius Sacrificij consum-
 mationem. Non rarò etiam, cum Religiosos
 suos ad prauos humores, quos in Nosocomio
 contraxerant, dissipandos, in aliquam vi-
 neam mitteret, ipsis seriò commendabat, vt
 rem nullam absque heri aut vinitoris bona
 venia attingerent: & contra mandatum ve-
 nientibus graues pœnitentias imponebat. Ita
 aliquando Romæ accidit, cum ipse multi-
 que è nostris in vinea Mignanelli essent.
 Nam cum eorum aliqui pauculas ficus citra
 facultatem decerpissent, misit extemplò ali-
 quem cursim domum, qui fasciculum disci-
 plinarum afferret; imperauitque, vt rei om-
 nes delicti pœnam subirent: atque etiam, ne
 vllatenus hæc res damno esset vinitori, ali-
 quantam illi pecuniam vesperi in pretium fi-
 cum

332 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
cum (quas vix numero triginta comede-
rant) reliquit. Aliàs itidem Romę Frater qui-
dam Roccus nomine, è morbo conualefcens,
quafdam radices ex vna vinea domum de-
portarat: rogatus igitur eſt à Camillo, an cum
vinitoris facultate eas ſuſtuliffet. Cumq; ve-
ritatem faſſus eſſet, ſtatim iuſſus eſt, licet ad-
huc conualefcens, benè longam viam repe-
dare, & vltra S. Onuphrij templum (vbi illa
erat vinea) dictas radices reportare. Simile
quiddam fecit Samnij, cùm Fratrem Ioan-
nem Thomam Coppolam, ad vnum circiter
milliare reſtitutum vnã arundinem miſit,
quam è quodam arundineto innitendi gratiã
aſportarat. Vehementer autem dolebat idem
bonus Pater, cùm aliquem è ſuis videret de-
ſiderantem vel petentem aut procurantem
maiori quàm deceret cura res duplices, de il-
lis ſic queri ſolitus: *Tales gloriantur ſe eſſe Re-
ligioſos, & votum nuncupaſſe Paupertatis, ce-
terùm nolunt vlla paupertatis neque onera ſen-
tire, neque incommoda experiri.* Ipſe verò fre-
quenter in cubiculo ſuo inuentus eſt ſua per-
ſeſe veſtimenta reſarcire. Semel item totam
hiemem ſine thorace tranſegit, ſola tunica &
interula contentus: quippe percupidus ali-
quẽ illius ſanctę virtutis fructum deguſtan-
di. Cùm aliquando Pater Franciſcus Ama-
dius, Superior domus Romanę, illũ animad-
uertif-

uertisset vestimentis variè refartis opertum esse, mandauit illi nouam fieri vestem & pallium: sed sartori ad capiendam mensurá accedenti, *Minimè*, inquit Camillus, *minimè istis rebus indigeo; vestis enim, quam gero, adhuc refarciri potest, ac pallium illud quidem tres alios annos gestare possũ.* Ita neutiquá permisit pronouis vestibus capi mensuram, qui veteribus erat contentus. Anno sancto Iubilei, siue millesimo sexcentesimo à Virginis partu, proficiscens cum suis Consultoribus Neapoli Bocchianicum, postremo itineris die à via aberrauit. Vt autem in eam ipse comitesque sui redirent, fuit ager quidam, & is quidem seminatus, transuersim peruadendus; & quoniam retrò equi ducebantur, dici non potest, quantum eum dolor incesserit cernentem equos, id quod seminatum fuerat, conculcantes: qui quotiescumque pedem in terra figerent, toties ipsummet pedibus premere videbantur. Adeò miseratione pungebatur. Et quamuis nos omnes ei diceremus, non esse id tempus quo sementis pati quidquam damni posset, tamen quòd non quiret aliter pacare animum, continuò inter eundem postulabat, cuiusnam esset ille ager, vt omne damnum eius domino refarciret.

CA-

CAPVT VIII.

*Ardentissimum Camilli studium erga
sanctam Castitatem.*

TAm singulari sanctæ castimonix dono
ditatus à Deo fuit Camillus, vt ea vir-
tus in ipso, quasi sol inter stellas, eminenter
coruscaret. De qua sancta virtute cum verba
faceret, tanto efferuescebat studio, tamque
contentis neruis eam efferebat in cælum, vt
vi contentioneque sermonis videres in eo ve-
nas frontis iugulique intumescere. Volens
autem huius castimonix proferre speci-
men, consueuerat dicere (quemadmodum
& Paullus de suo raptu) *Novi ego quemdam
hominem, qui per Dei gratiam toto triginta
annorum spatio, eoque amplius, hanc carnis ten-
tationem tantum sensit, quantum iste murus:
tamque validè inter hæc verba ipsum mu-
rum pugno diuerberabat, vt ferream videre-
tur gestare dexteram. Dicere etiam erat soliti-
tus: Ecquid potest facere demonium, ubi homo
animum obfirmaverit istis vilibus ac sordidis
cogitationibus viriliter obluetari? Citius enim
asinum nolentem ad bibendum adegerit, cum
non sitit, quam illum ad consentiendum indu-
xerit.* Afferebat autem, nullum se aduersus

hanc

hanc tentationem melius inuenisse remedium, quàm cum dæmon illas cœperit impuras cogitationes ingerere, eas quàm citissime, ac ne puncto quidem interiecto temporis, longissimè propulsare, & in faciem ipsius dæmonem conspuere, nihiliquæ prorsus facere, sicut eum Manfredoniæ Pater quidam Capuccinus olim docuerat. Cùm veller nonnumquam Nouitijs superandarum tentationum rationem aperire, ita illis est locutus: *Fratres mei, vigilantes simus in propulsandis tentationibus, eo prorsus modo à cordibus nostris illas repellentes, quo ferrum candens à carne viuæ pectoris nostri dispelleremus. Quare cum tentabimini, auertite vos statim cum indignatione, atque in faciem dæmonis conspuite.* Quod quidem monitum mirabiliter ab ipsomet fuit obseruatum, non modò in omnibus primis talium cogitationum motibus confestim reprimendis atque interimendis, desputa dæmonis facie, sed etiam ab omni minima earum occasione, tamquam à vipera, profugiendo. Aiebat enim, in eo tentationum genere nullam prorsus esse occasionem, quamuis minimam, quæ apparere non debeat, atque æstimari longè maxima: quandoquidem certâ liqueat experienciâ, etiam minimas ignis fauillas satis habere virium ad quemlibet grandissimum palearum mon-

336 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
montem exurendum. Propterea feminarum conspectum adeò deuitabat, vt si per vias occurrerent, sæpius aliam ipse iniret viam, aut si id non foret integrum, demisso ob oculos galero gressum acceleraret, eius fugiendi occursum aspectusve gratiâ, vt socio cursim post eum esset festinandum. Sed potissima tunc erat admiratio, cum in semitis aut angustiis viarum id accideret: quia tum vel retrò recurrebat, aut certè in lutum, ne illis propinquaret, declinabat, malens vestes suas contaminare, & ab omnibus stultus reputari, quàm vel tantillum occasione maculandæ castitatis ac puritatis animæ propinquare. Cum illi aliquando vnus è suis Florentiæ diceret, *Pater, hodie vidi Reginam Francia*, ille eum toruè intuens, atque dictum admirans, *Ego verò*, inquit, *nec passum vnum facerem ad vnâ intuendam feminam*. Neque aspectum modò refugiebat, sed quàm diligentissimè item curabat, ne propinquus illis staret: eratque vnum è maximis eius cruciatibus, cum necessariò dandæ essent aures alicui Dominæ benefactrici, quæ de suis molestiis prolixè cum eo loqui vellet. Semel igitur miscente illo sermones cum aliqua Domina, cum cuperet illa (quò melius intelligeretur) se eius lateri applicare propius, ipse, quò magis illa appropinquabat, tantò amplius

plius vnà cum sedili suo retrocedebat, atque
 ab illa se disiungebat: & hoc pacto sensim
 nec aduertentes, totum ferè conclaue acce-
 dendo & recedendo perambularunt. Ab-
 horrebat etiam vehementer à singulari-
 bus feminarum colloquiis: nec patieba-
 tur accidere, vt soli cum sola sibi sermones
 essent, quamuis sancta admodum, admi-
 rabiliſque (quæcumque illa foret) habere-
 tur. Verùm quis explicare valeat, quid studij
 ac diligentia adhiberet, ne feminæ manus
 ipsi exoscularentur? neque tamen quanta-
 vis cautela euitare poterat, quin aliqua inter-
 dum ex improviso ad earum osculum motu
 deuotionis irrumperent. Ac tum quidem
 cum sancta quadam modestia (quamuis eæ
 centenariæ forent ac decrepitæ) manum ve-
 ste clanculùm abstergebat; neque id semel,
 sed sæpius: tametsi non ignoraret, nonnullas
 Dominas id animaduertentes non mediocri-
 ter admirari. Ita quondam Genuæ in Noso-
 comio feminarum euenit: vbi cum primaria
 quædam Domina eius esset manum exoscu-
 lata, ipseque nihilominus ei perpurgandæ at-
 tenderet, dixit illa socio in aurem: *Heus, Pa-
 ter, quidnam rei est, quamobrem Camillus to-
 ties manum suam emundet?* Cui ille non pau-
 ca de eius probitate & castimonia cum reru-
 lisset, restitit bona Princeps velut attonita,

Y

&

& simul tantæ puritatis exemplo mirè recreata, præsertim cum edocta esset, id totum non aliunde, quàm ex perfectionis altissimo fastigio prouenire. Postremò ita huic sanctæ virtutis ardens amator exitit & æmulator, vt dicere soleret: *Non solum aspectus & vicinitas feminarum, sed etiam umbra illarum centum millibus milliarium fugienda est.* Sic ipse per omnipotentis Dei gratiam, instar alterius sancti Iobi, hanc sibi absque mendacio vindicare laudem potuit (saltem à suæ conuersionis tempore in posterum) numquam se sponte inspexisse, neque oculos in alicuius femine formam, potissimum mala intentione, sustulisse. Verum quidem est, eum, urgente aliqua Religionis necessitate, cum in cuiuspiam illarum colloquium veniendum esset (perinde quasi alterum hominem induisset) collocutum esse eum omni sancta libertate & affabilitate, modestiaque religiosa. Ita Romæ aliquando summoperè rogatus, vti ad Monasterium Turris-speculi rem Diuinam factum iret, ille, quamuis aliàs ferè numquam in vllò fuisset feminarum Cœnobio, sciens tamen dictas Matres (vtpote Religiosas claustro non obligatas) exire nonnumquam infirmos propinquos visitatum, atque ad mortem piè obeundam adiutum, illuc adiit: celebratoque
 ibidem

ibidem Sacrificio, feruentissimam ad eas exhortationem habuit, qua ipsas ad charitatem iuxta & humilitatem inflammavit. Plurimo igitur gaudio atque solatio delibutæ fuerunt, tam ex desiderato eius conspectu, quâ è sanctis virtutû monitis, quibus ab illo eruditæ, & ad profectum incitatæ sunt. Enimverò in similibus visitationibus minimè moram trahebat, sed quàm poterat citissimè se expediebat, semperque in suis sermonibus nonnulla de infirmis, de moribundis, de Nosocomijs, deque aliis eiusmodi rebus formidolosis dicta immiscebat; fastidium autem quod ex tali colloctione & consuetudine sentiebat, quàm maximè poterat, dissimulabat. De cetero tam acerbus hominum veneratorum abominationi deditorum hostis fuit, ut quamvis ij ex nobilissimis mundi Proceribus forent, non posset tamen sibi ab eorum reprehensione (quotiescumque vel minimum eius vitij signum se præsentè edidissent) temperare. In cuius rei fidem, vnum breuiter exemplum commemorabo. Anno Iubilei sancto, qui fuit millesimus sexcentessimus, die Iunij decima octaua, ipsâ Dominicâ, euntes Camillus & eius Consultores Ferrariâ Venetias, Francolini conscenderunt in cursoris nauigio, in quod etiam furtim subintrauerant feminae tres improbæ ac procacis vi-

340 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
tæ, mater scilicet & duæ eius filæ, ingenti pul-
chritudine, quæ à ciuitatibus in ciuitates fec-
di turpisque lucri gratiâ pertransibant. Ca-
millus igitur audito per viam huius rei ser-
mone, tanto horrore tædioque percussus est,
vt explicari vix queat. Vnde perquisitâ im-
pensis studio aliâ nauiculâ, nec vsquam reper-
tâ, demum duos Societatis IESV Patres, qui
eodem vehebantur nauigio, summo est ope-
re deprecatus, vt palàm aliquid in horrorem
peccati annuntiarent. Tum vnus ex illis ser-
monem est aggressus multo feruore plenissi-
mum, atque in plurium iuuenum despe-
ctum (qui vt dictis attenderent, induci num-
quam potuerant, semper sua testudine strepi-
tum concientes) persuasæ sunt illæ femine
votum facere non peccandi, saltem spatio tri-
dui, mater verò, non præbendi illis eodem
triduo vllam occasionem. Quod sanè vo-
tum cum tanta fecerunt compunctiōe cor-
dis, vt omnes tres in media stantes naui, &
amarè flêtes, pro nihilo duxerint maximam
pati ignominiam, atque immenso rubore
suffundi, dum isti malè morati vectores ver-
bis illas aculeatissimis transfigerent ac fodi-
carent. Vespero verò, cùm ventum esset ad
diuersorium supra ripam Eridani hominibus
armatis plenam, Camillus & comites dum
ad mensam sedent, aliquid sumentes refe-
ciendis

ciendis corporibus, ecce vident illas feminas ab istis comprehensas militibus maximo cum triumpho & festiuitate ad superiora cubicula, insanæ fruendæ voluptatis causâ, & Dei in illis offendēdi cupidine, traduci. Quo bonus Pater infinite & quantum dici nequit irritatus, velut alter Phinees pro Dei honore zelo commotus, surgit ocyus à mensâ, in occursum ipsorum intrepido se fert animo, & quod vulgò per itinera Crucifixum gestare soleret collo alligatum, iniecta in eam armaturam manu, & ob hominis proterui oculos posita, *Frater, inquit, per huius Christi amorem te precor, vt has feminas abire sinas.* Tum ille homo atrociter indignatus, & male voluntatis plenus, eo ab se repulso (cùm parum abesset quin sclopum illi in caput impingeret) *Quid? an eas omnes, inquit, vobis fortè habere vultis?* & hæc dicens renuebat dimittere: sed Camillus tam ferocis dicti procaciam nihili pendens, neque tantillam vitam ipsam faciens, quam tali in causâ vel cupide funderet, audaciter se interiiciens, feminas extorquet è manibus. Testor equidem, mihi numquam in tanto periculo visum fuisse Patrem nostrum, in quanto tunc fuit: cùm cernens ego illum in medio hominum armatorum, & spiritu fornicationis furentium, non modò ipsum in frustra dissectum

sectum iri, sed nos quoque omnes, qui in eius eramus comitatu, ferro occasuros arbitrarer. Verùm diuina Maiestas seruo suo tantum inuidi roboris suppeditauit, vt sola sanctissimi Crucifixi imagine armatus terrefecerit, soloque affligerit totam illius turbæ militaris ferociam: ita vt ipsi, velut cælesti virtute incatati atque attoniti, nescirent quoniam pacto feminæ illæ suis è manibus ereptæ euasissent. Tum Camillus actutum recurrens ad nauigium, statim feminas in tuto posuit; noluitque ampliùs ne punctum quidem temporis stare in scelerato illo tabernaculo peccatorum, nempe veritus, ne vibratum è cælo fulmen totum illud diuersorium illicò concremaret. Fugiebat quoque ea loca, vbi profanos sonos, cantus, tripudia exaudiret. Hinc sæpenumerò, cum manè ante auroram in templo esset, quo tempore à nostris fit meditatio, si quis fortè per viam transiens chelyn aliudve instrumentum pulsaret aut cantaret, ille subitò, motu canis ex aqua emergentis, caput concutiens, atque excreans aut tussiens, ne quid istorum audiret, strepitum concitabat. Cum autem in dicto itinere Venetiis reuerteretur Mediolanum, & per medium quemdam pagum transiret, in quo à rusticana plebe ludabatur, saltabatur, cantabatur, ibi noster rhodarius,

darius, vt feminas contemplaretur saltantes, cursum stitit : Camillus ergo, qui aliquid circa rhedam desiderari, aut fractum esse quidpiam suspicaretur (clausis enim portulis tum ibatur) postquam auribus excepit tibiæ aliorumque instrumentorum sonos, intellexitque rhedarium deditâ operâ substituisse, vt oculos suos tripudantium feminarum spectaculo pasceret, ita eius rei indignitate exarsit, vt coram tota illa turba acerrimè eum increpauerit, atque vltra progredi vel nolentem coëgerit. Quin tam grauius factum istud accepit, vt numquam ampliùs per vias eius hominis opera vti voluerit : ac Mediolanum cùm peruenisset, ea solùm de causa strenam, seu gratuitum peracti itineris munusculum, elargiri recusarit. Ex his porrò pauculis exemplis facillè cognosci licet, quantus & quàm diligens obseruator & custos thesauri sanctæ castitatis Camillus extiterit.

CAPVT IX.

*Quàm chara Camillo fuerit Obedientia,
Humilitas, & sui ipsius desipientia.*

TAmetsi Camillo numquam oblata fuerit demonstrandæ circa sanctam
Y 4 obe-

obedientiam promptitudinis suæ occasio
 (propterea quòd semper Congregationis su-
 perior extiterit) tamen postquam officio Ge-
 neralis vltro se abdicauit, minimè sibi defuit,
 quin illustrissima ac prorsus eximia illius vir-
 tutis exempla in se ediderit. Vbicumque e-
 nim post eam abdicationem habitauit, sem-
 per à Superiore, seu foras exiens, seu domum
 rediens, benedictionem exposcebat. Quem
 cum in inferioribus ædibus non reperiret,
 conscensis gradibus, tota eum domo perqui-
 rebat, licet alioquin mittere focium ad eam
 petendam facultatem potuisset: immò sæ-
 pius non reperto ipso Superiore, præ humili-
 tatis amore ac desiderio, ad illam à Fratre
 Subministro postulandam se submittebat.
 Idem circa litterarum missionem ac rece-
 ptionem factitabat: quarum ne vnã qui-
 dem citra Superiorum facultatem admisit.
 Sed multò maioris erat admirationis, intueri
 eum non semel, sed sæpius, licet grandæuum,
 licet fundatorem, licet tot annos Genera-
 lem, & eo demum officio sua sponte defun-
 ctum, flexis tamè in omnium Patrum ac Fra-
 trum corona genibus, quotidianorum suo-
 rum defectuum veniam (quemadmodum
 alij Patres ac Fratres solent) vltro deprecari.
 In quò etiam, post sui voluntariam accusa-
 tionem, libens suscipiebat, & omni cum hu-
 mili-

militate ac modestia præstabat iniunctam a Superioribus suis pœnitentiam, quamuis ij Superiores plerumque iuuenes essent, atque in Religionem ab eò admissi atque educati fuissent. Adeò autem formidabat vel habere quidpiam, vel possidere præter sanctæ obedientiæ voluntatem, vt illo ipso die, quo Generalis officio renuntiavit, priusquam vesperi decubitum concederet, Prouincialem Romanum adierit, & paucularum recularum sibi necessariarum, quas in cubiculo habebat, indicem obtulerit: nec earum vsum antè admiserit, aut vlllo modo etiam vltro oblatum admittere voluerit, quàm ipse Prouincialis eum legisset, & perlecto subscripsisset. Verùm nimis prolixum foret negotium, si omnia quæ ad eius obedientiã spectant, minutatim vellem singulis inhærendo actibus exequi: sed solum dicere in præsentî sufficiet, non modò vocẽ, aut indicium nutum ve Superioris, sed etiam quodecumque minimum æris campani signum illi pro ipsius Dei voce ac mandato extitisse. Tam celer promptusque ad omnem obedientiam erat! Contigit aliquando, vt sumpto pallio, & obserato iam cubiculo egressurus domum, audiret campanæ sonum cunctos ad verrendam domum euocantis: mox ergo, quamuis cum duobus Sacerdotibus ei sermo tunc esset, eo statim

Y 5

inter-

346 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
interrupto, *Patres mei*, inquit, *ignoscite, exequamur primò sanctam obedientiam*, & illis extemplò relictis, vti erat amictus pallio, ad verrendum cubiculum se retulit. Aliàs (vt cuncti scirent quanto in pauperes Nosocomij ferretur affectu) dictum ei fuit: *Pater, si Præfectus domus vestrae Reuerentia prohiberet, ne ad Nosocomium se conferret, sed ad suum cubiculum se referret, quid tali in re faceret?* Respondit: *Facerem statim quod mandaretur, & alia omnia missa facerem, alioquin non essem ego sanè Religiosus, sed bestia.* Nunc ad sanctam humilitatem quod attinet, planè pari studio in eius exercitia semper incumbat, iam in culina patinas lauando, iam in cœnatione mensis ministrando. Quin etiam non rarò, tam ante Generalatus abdicatorem, quàm post eam, cùm nostri, ad sepeliendos mortuos, funus in Nosocomijs comitarentur, ipse, quamuis ætate senex, & statura adeò procerus, Crucem præferebat, & sæpè item feretro humeros supponebat. Numquam verò permisit (quamdiu quidem per se facere potuit) vt aliquis curam eius haberet cubiculi, sed ipsemet cuncta faciebat, verrebat, mundabat, componebat: immò persæpè in nostris Valerudinariis ipse munus suscipiebat Curatoris infirmorū. Aliquādo in Nosocomio sancti Spiritus, cùm so-

dalem
dandi
expan
exequ
me isth
nistr
cio, I
magin
focom
millus
vnum
mi Fr
At ca
tione
procu
facias
tuo in
dem p
gratia
egrè a
clefiis
lauare
ibat
vrber
tame
fuisse
nale S
do ei
rheda

dalem suum videret assumere curam mundandi cubiculi, & fascias malè affectæ tibie expandendi, & alia ad eius sublevationem exequendi, dixit ei bonus Pater: *Frater, sine me isthac omnia facere, & tu soli pauperum ministerio intende*. Ad quod respondentem socio, Pater, cum ego vestra Reuerentiæ seruiro, imaginor mihi me minimo pauperi totius Nosocomij inservire (quo tunc contentus Camillus, & gaudens se haberi & æstimari vt vnum ex pauperibus) subiecit: *Ergo, si ita est, mi Frater, obicem nolo meritis tuis ponere*. At caue sis, quidquam eo respectu aut cogitatione facias, quod sim fundator (gravis enim proculdubio hæc foret tentatio:) sed solum ita facias, quemadmodum cuius alteri proximo tuo infirmo & indigo faceres; & cum tali quidem proposito atque intentione ego admitto, & gratias tibi ago. Cùm aliquis e nostris peregrè adueniret, aut à septem reuerteretur Ecclesiis, ipse semper inter primos aderat, qui lauare illis pedes vellet, & lotos exosculari. Ibat frequenter cum mantica in tergo per urbem Romam, ad panem emendicandum, tametsi à suis familiaribus non rarò eius rei fuisset admonitus, atque inter alios à Cardinale Saluiato Protectore, qui Romæ aliquando ei occurrens manticam humeris gestanti, rhedâ sisti iussâ, eum acriter increpuit, minime-

meq; id eum decere, nec Generalis dignitati conuenire inculcauit. Numquam verò aliquod humilitatis opus à domesticis suscipiebatur, quin ille semper primus manum operi admoueret. Hinc sæpenu merò, dum aliquod ædificium strueretur, ipse vestem lineam indutus, calcem, lapides, lateres deuehebat; aut certè in viam foras prodiens, intrò ligna portantes adiuuabat, nec infrequenter quoque in lauandis pannis atque ad solem expandendis auxilio erat. Cui cùm aliquando dictum esset, ne in vlla harum rerum se occuparet fatigarétve, sed hæc aliis facienda relinqueret, *Absit*, inquit, *nec hoc Deo placeat, vt me vniquam communibus subducam exercitiis: nam meum Superioris nomen in virtute locum habere debet, nō in exemptione.* Iam autem eius incedendi modus & conuersandi cum tanta sui despicientia coniunctus erat, tamque paupere & vili neglectoque habitu utebatur, vt si Crucem in veste non gestasset, facile futurum fuisset, vt pro paupere Presbytero, derelicto & extraneo haberetur. Sic aliquando fuit mea quidem opinione Romæ habitus, vbi cùm ad faciendam rem Diuinam templum sancti Michaëlis Archangeli (dies erat illi sacer) in regione Leonina petiisset, eâ perfectâ, vnus Sacerdotum qui ibidem aderant, arbitratus eum esse pauperem

rem Presbyterum alienigenam, illi in stipem
 vnum Iulium dedit; Camillus autem animo
 sanctæ humilitatis & modestiæ pleno, gra-
 tias se agere de eius charitate dixit, & di-
 ctum Iulium in pelui eleëmofynarum reli-
 quit. Aliàs tamdiu pallio vno est vsus, vt præ
 multa vetustate totus iam lacer esset ac de-
 color. Vnde sæpiùs eum Cardinalis Paleot-
 tus rogavit, vt alium sibi faciendum procu-
 raret; sed tandem animaduertens, eum ex
 humilitatis studio & sui contemptu nihil ef-
 ficere, coactus fuit pro sua in illum insigni
 benevolentia imperare eius socio, vt confici
 vnum nomine suo iuberet. Quod & factum
 est. Neapoli quoque multo admodum tem-
 pore vestem vnã tulit tot panniculis obsi-
 tam (quorum aliquos ad maiorem sui despi-
 cientiam filo albo consuerat) vt debuerit ei
 Superior in virtute sanctæ obedientiæ impe-
 rare, vti eam relinqueret; ac tum demum
 aliam cepit. Semel Romæ, cùm rhedâ cu-
 iusdam primariæ Dominæ, quæ ipsum euo-
 cauerat, veheretur, reuertens domum, incidit
 in pauperem quemdam in via clamantem,
Ego sum infirmus, & nemo mihi credit: tum
 Camillus, *Ascende,* inquit, *huc ad me in rhe-*
dam: & recusante illo, fortassis ex verecun-
 dia, tantò illum calidiùs atque ardentius
 precabatur Camillus, & se deprimens dice-
 bat:

350 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
bat: *Frater, non te teneat verecundia; intra,*
amabò; non sum ego cuiusquam loci aut digni-
tatis, sed sum homo pauper. Nolente illo ni-
hilominus sic inuitanti acquiescere, vltèrius
transiit Camillus, sed ita vt retrò idemdem
respectaret, eum aduocans, & signo ad in-
trandum inuitans. Cupiebat etiam, vt sui
Ordinis Religiosi totum vitæ suæ fundamen-
tū in hac sancta virtute humilitatis colloca-
rent, atq; in ea vires animi & corporis quàm
plurimum exercerēt; ac propterea fieri num-
quam potuit, vt vlli superbi & ambitiosi
apud eum præpollerent, aut cum illo perse-
uerarent: siquidem modis omnibus labora-
bat, vt depressi essent ac humiles, cum vel sua
ipfius saltem profunda humilitate illos con-
funderet. Petiit aliquando infirmus quidam
ab vno è nostris nescio quod charitatis genus,
valdè repugnans sensibus: animaduertens
autem Camillus, hunc Fratrem illibenter
minusque promptè id facere, confestim ip-
semet ad illud faciendum se contulit; & illi
segniori, *Scias porrò, inquit, neque me, neque*
te dignos esse, qui huiusmodi præstemus offi-
cium charitatis. Cum autem infirmo ex animi
eius sententia inseruisset, isque ipsi gratias
ageret, mox Camillus flexis coram illo geni-
bus, *Frater, inquit, meum est tibi gratias age-*
re, quòd talem mihi charitatis exercendæ occu-
siones

honem obtuleris, non tuum mihi. Quocirca
Deo gratias age, non mihi. Hoc pacto igitur
 istum alterum Religiosum rubore suffudit.
 Aliàs cum ad nostros publicè verba faceret,
 petiit ab vno ex illis, qua in re posset quis-
 piam aliquid habere aut sentire amoris pro-
 ptij. Respondit ille, multis in rebus, & spe-
 ciatim quoque in barbæ ad suum quemdam
 modum accommodatione. Tum veritus
 Camillus, ne fortè quispiam suorum aliqua
 delectatione traheretur, ad barbam præter
 commune Religionis institutum variè con-
 cinnandam, *Statim, statim, inquit, non modo*
tonderi omnium barbæ, sed etiam abradi volo.
 Atque, vt exemplo omnibus præiret, primus
 suam obtulit abradendam, non magni pen-
 dens quidquid in eo pateretur, quod omni-
 bus ad vniformitatem & æqualitatem com-
 modaret. Tam submissè porrò de se sentie-
 bat, vt se etiam totius mundi grauissimum
 peccatorem reputaret ac diceret; ex quo fie-
 bat, vt soleret se titionem inferni appellare,
 atque alios omnes se vno meliores arbitrari.
 Aliquando inter colloquendum præ se tu-
 lit quidam Pater, mirari se vehementer,
 quo pacto homo idiota & miles, qualis fue-
 rat Camillus, potuisset erigere ac fundare
 Religionem: ipse autem tantis se verberari
 laudibus sentiens, correpto ad se tutandum
 mo-

352 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
modestæ humilitatis clypeo ita respondit:
Pater mi, ne tibi subrepat vlla huius rei admira-
ratio: quia id omne quod factum est, à potenti
manu Dei factum est, qui ad tale opus vno in-
ferni titione uti voluit. Quis tamen nouit, an
non aliquando titionem hunc extinctura sit illa
diuina Bonitas, & factura, ut non sit amplius
inferni? Et spero in Dei misericordia id factum
iri. Aliàs cum ei dictum esset, Pater, meriti
debet vestra Reuerentia aliquam sentire animi
voluptatem, quòd Religio hæc tantillo temporis
spatio ita excreuerit, respondit: Pater mi, ut
veritatem tibi aperiam, nulla vmquam talis
cogitatio mihi in mentem venit, nec aliquando
ea re oblectatus sum: contra verò semper inde
magis magisq; depressus, atque inde confusus,
continuas Deo meo, ut bonorum fonti atque
origini, laudes refudi. Reuersus quodam tem-
pore Bocchianico Romam, tametsi admo-
dum ex itinere defatigatus & languidus,
cum sustinere diutiùs Fratrum suorum infir-
morum absentiam ac desiderium non pos-
set, iuit vespera insequente vigilatum in No-
socomio sancti Spiritus. Qua prima nocte,
ob multos à se susceptos labores, grauiter va-
letudinem afflixit. Vnde domum reuersus,
non potuit quin eadem in infirmitate claris-
sima ederet magnæ suæ humilitatis indicia.
Quadam igitur nocte multò plus solito

aggra-

aggrauatum sentiens, accersito Confessario
 (qui tum erat Pater Petrus Franciscus Pel-
 lizzonus) eum rogauit, vt suam excipere di-
 gnaretur Confessionem peccatorum genera-
 lem: ille verò animaduertens eum febris non
 mediocriter æstuantem, immò sic ardente
 lingua exsuccum, vt vix loqui posset, respon-
 dit, deponendam ipsi esse hanc curam, &
 animi angorem: se enim pro certo habere,
 nihil tali Confessione ei opus esse, cum aliàs
 eam expleisset. Tum verò infinita Dei beni-
 gnitas tantam seruo suo gratiam infudit, vt
 super ea re cum suo Confessario colloquens
 diceret, fatereturque, coram aliis commissa
 ab se peccata in sæculo, nihil veritus multo-
 rum e nostris ibidè presentiam. Totam dein-
 de noctè in grauibus doloribus atque suspiriis
 consumpsit. *Ah Domine Domine*, inquebat,
da mihi veram peccatorum meorum contritio-
nem, & ignosce huic magno peccatori. Reddi-
 tus postmodum sanitati, & sermonem de
 quodam Sacerdote audiens, qui nescio quam
 à maligno spiritu passus esset illusionem, pro-
 pter quam in animi ægritudine versaretur,
 dixit cum suspirio: *Hem, Patres mei, quàm bo-*
num est ambulare per vias mulionibus tritas,
hoc est, per obseruationem sanctorum Dei man-
datorum, & in veris solidisq; se exercere vir-
tutibus, charitate, humilitate, alijsq; similibus!

Z

Deni-

Denique bonus Pater, ex quo tempore renuntiauit supremo gubernandæ Religionis officio, cum iam annorum esset sexaginta, tum nouo spiritu atque feruore cœpit in se maiorem in modum exsuscitare obedientiæ & humilitatis desiderium. Quare in tantæ simplicitatis ac puritatis statum se retulit, vt more simplicis infantuli doctrinæ Christianæ libellum sibi coëmerit, & tamquam modò genitus infans in Christo Iesu eam doctrinam relegerit, ac memoriâ repetierit, quò nouum scilicet vitæ suæ spirituali principium poneret.

CAPVT X.

Attentio & Deuotio Camilli in diuino Officio, & in sancto Sacrificio.

IN diuino recitando Officio tanta erat Camilli attentio atque deuotio, vt nullus, meâ quidem sententiâ, illo diligentior vniquam reperiendus sit. Quod Officium, præ metu quidpiam omissendi, libenter cum socio, si copia eius esset, recitabat: solitusque erat idemtidem ab eo postulare, num bene recitasset. Neque parum in hoc ponebat temporis, quòd semper & ipse repeteret, & repeteri socium vellet, quamuis minimam
sylla-

syllabam aut particulam non benè intel-
 lectam, aut non rectè prolatam. Vix vñquam
 verò partem vllam memoriter recitabat, sed
 oculis semper in Breuiarium defixis: & ferè
 semper capite aperto & genibus flexis. Erat
 autem accuratissimus præscriptarum ab Ec-
 clesia cærimoniarum obseruator, vt & nulla
 Crucis signa ommitteret, & omnes genufle-
 xiones in rubricis contentas repræsentaret. Si
 inter recitandum dictum Officium aliquis
 eius pulsasset fores, aut si socius tussiuisset,
 aliumve strepitum edidisset, statim ipse di-
 gito super versiculum ad quem peruenerat
 impresso, firmiter eum detinebat, præ timo-
 re, ne quid eum effugeret aut præteriret. Cu-
 piebat etiam, vt socius altè, clarè & distin-
 ctè pronuntiaret, ac nì faceret, iubebat re-
 peti: interdumq; accidit, vt ipsemet eundem
 versiculum sæpius repeteret, studio benè
 pronuntiandi, & ea legendi attentione,
 quam is præstare debet, qui cum Deo col-
 loquitur. Opus erat non rarò, vt socius ad
 eum sedandum diceret: *Vestra Reuerentia
 acquiescat, idq; meæ conscientie relinquat: be-
 nè enim legit, nec quidquam omisit: & quod
 plus est, dixit vsque ad Tertiam, Sextam,
 Nonam, nec aliud restat dicendum præter Ve-
 speras & Completorium: & signa benè posita
 sunt in Breuiario: nec potest commissus esse*

Nullus error. Tum autem ad pacandam con-
 scientiam, & ad iudicandum se acquiescere,
 bis tēve capite annuebat, aut gestu ma-
 nuum approbabat: eratque res cunctis fami-
 liarissima, vt cū eum animaduertent di-
 ctos exhibentem motus, dicerent: *Iam Pa-
 ter sibi conscientiam tranquillauit.* Tanta
 verò circa hoc pietatis genus cū faceret,
 videbatur tamen bonus Pater non satis ad
 debitum Deo obsequium facere; ibatque
 nonnumquam ad aliorum ianuas ausculta-
 tum, quomodo ipsi recitarent. Accidit ali-
 quando, vt cū ipse in Nosocomio Me-
 diolanensi in eiusdem Officij lectione oc-
 cuparetur, aliqui è nostris eum interpellan-
 tes, certam feminam adducerent habitam
 ab ipsis valdè deuotam & spiritualem, quæ
 ipsum alloqui, eiusque donari benedictione
 peroptabat: tum ipso digito derepentè ad
 versiculum quem legebat proiecto, retror-
 sum se conuertens, *Id non curo,* inquit, *id
 non curo,* dans manu signum, vt amandare-
 tur. Nullum porrò tormentum maius in
 sua infirmitate illi fuit, quàm de lectione
 Officij scrupulus conscientiæ. Quamuis e-
 nim ardentissima febris æstualet, nullus ta-
 men transibat dies, quin à Medico peteret,
 ad illudne teneretur, an non. Neque prius
 acquiescebat, quàm seuerè ab eo reprehē-
 sus

sus esset, iussusque acquiescere. Pari semper
 utebatur diligentia & attentione in sancto ac
 tremendo Sacrificio, quod quotidie manè
 celebrabat, nec umquam omittebat, nisi aut
 graui præpeditus infirmitate, aut aliquo ma-
 iori impedimento ad pauperum vtilitatem
 pertinente distentus. Etiam in itineribus
 semper illud facere connitebatur, licet in
 pauperibus quibusdam pagis, interdum tam
 breuibus cogeretur vti ornamentis, vt vix ad
 medias tibias & ad media brachia attinge-
 rent: sed huic incommodo post occurrit,
 secum deportando quodam tempore omnia
 ornamenta, etiam Hostias & candelas, cum
 sibi religioni duceret, pauperum Presbyte-
 rorum Hostias & candelas absumere. Erat
 in suis Sacrificiis aliquantò longior, ob exqui-
 sitam diligentiam, quam in cærimoniis, in
 secretis Orationibus, in Consecratione, in
 Patenæ mundatione adhibebat; in quibus
 nulla umquam utebatur festinatione, et-
 iam si habuisset eadem die centum milliarum
 itineris peragenda, & quamuis interfuisset
 eius Sacrificio vir quantaui dignitate vel au-
 ctoritatis pollens. Non rarò etiam, dum esset
 Generalis, ex deuotione ministrabat aliis no-
 stris Sacerdotibus Sacrum facientibus. Volebat
 vt mappæ, sudaria, corporalia, & alia alta-
 ris ornamenta, nitida essent & expolita. Sæ-

358 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
pè dum ad aram staret Sacrum celebratu-
rus, præsertim vbi solitus non erat celebrare,
timore tangebatur, ne ibi fortè desideraretur
lapis sacratus. Vnde ad certitudinem, reflexis
nõnumquam aciculis, manum suam mappæ
submittebat; & an ibi esset lapis, & quou-
que se extenderet, explorabat. Quadam vi-
ce, dum in Nosocomio sancti Spiritus ego ip-
se in altari diuæ Virginis Sacris operarer, in-
stante Consecrationis tempore bonus Pater
pedetentim aræ appropinquans, & manum
super Corporale imponens, *Auerte*, inquit,
hunc sacrum lapidem esse perexiguum, neque
ulteriùs quàm huc protendi. Quod idcirco
faciebat, quia verebatur, ne Hostiam conse-
crarem extra lapidis sacrati fines. Genufle-
xiones semper ad terram vsque protendebat,
quantuilibet eum tibiæ dolor grauaret ac
pungeret. Semper ante Sacrificij celebratio-
nem peccata coram Sacerdote confitebatur;
estque satis exploratum, numquàm eum ad
illud accessisse Sacrificium, remordente ali-
cuius peccati conscientia. Aliquando Boc-
chianici, ipsi ad altare Sacrificium iamiam
inchoaturo, nuntiatum fuit, multos eius loci
homines illo die Sacro non interfuisse, pro-
pterea quòd tamdiu expectare non valentes
abscessissent: veritus igitur ne aut ipse aut æ-
dituus in causa fuissent eius tarditatis, *misit*
statim

statim aliquos è nostris per totum illum locum è singulis domibus ad Sacrum euocatos, adeoque precibus rogatos, venire ne differrent: cum interim ipse ad altare illos operiretur vestitus, nec inchoare pungente animum scrupulo auderet. Aliàs vnà cum essemus in Liburno portu, ille vt proficisceretur Florentiam, ego vt in triremi Genuensi nauigarem Genuam, ille, recordatus se postridiè manè Confessarij copiam non habiturum, iussit me subsistere in medio loci cuiusdam populo frequentissimi, illicque aperto capite, & facto signo Crucis, statim statim peccata confessus est. Aliàs Romę, dũ in supradicto altari diuę Virginis in sancti Spiritus staret ad Consecrationem, & aliqui ex eius loci ministris præsentes essent, conuertit se, & veniam à socio suo petiit, qui erat Nouitius, & Sacro seruebat. Id autem fecit, quòd meminisset se ante Sacrum acri reprehensione eum pupugisse, ob nescio quod paruum delictum. Vnde sibi visus eum absque occasione turbasse, nequaquam audebat ad Consecrationem progredi, nisi prius veniam ab eo expostulasset. Sciens autem debere illum Fratrem in eodem Sacrificio sacram sumere Communionem, & formidans ne animo esset nonnihil perturbato, eum precatus est, ne Communionem

360 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
sumeret. Postremò nullum aliud præsentius
remedium ad dandam animæ suæ pacem ac
tranquillitatem dicebat se reperisse, quàm
ex prompto Confessionis & satisfactionis
adiumento mundam semper gerere con-
scientiam. Inde accidebat, vt cùm audiret
nominari puritatem cordis, aut aliud quod-
dam simile verbum, videretur in eius ani-
mam pluuia quædam mannæ similis de-
pluere. Tantum in se gaudij cælestisque vo-
luptatis sentiebat. Boechianici, cùm intel-
xisset multas pauperes puellas, & alias femi-
nas non ire diebus Feltis ad Sacrum, pro-
ptereà quòd carerent vestimentis, quibus
conuenienter suo statui in templo principali
comparerent; ipse, deportatis secum omni-
bus ornamentis necessariis, ibat celebratum
Sacrum in exigua aliqua ædicula, vt minori
cum verecundia posset turba illa pauperu-
la istuc conuenire. Cùm autem aliquando
ibidem Sacrum faceret in nostro templo, &
feminas audiret nonnullas inter se confabu-
lantes, ipse ad eas se conuertens, sanctaque
reprehensione castigans, admonuit, quan-
doquidem nunc essent in domo Dei & ora-
tionis, ipsas cum magno timore & reueren-
tia esse debere. Ita illæ semper deinceps re-
bus diuinis in silentio adstitere. Interdum et
eo quæsitum est: *Pater, quid faceret tua Re-*
ueren-

*venia, si inter celebrandum Sacrificium post
 Consecrationem incideret musca, resve alia si-
 milis, in calicem? Respondit autem; Queri-
 tis quid ego facerem? ego illam deglutirem;
 nec verò id mihi rarò occurrit, & ita feci, ac
 mihi pro Dei amore vim intuli.* In immitten-
 da in calicem aquæ guttula, sæpiùs sibi ipse
 non fidens petiit à ministrante, num eam
 vidisset intus cadentem? Cùm nonnum-
 quam in ablutione digitorum accideret
 contingere eum os ampullæ, dum signum
 daret non ampliùs infundendi, finito de-
 inde Sacro redibat in templum, & purifica-
 torio dictum ampullæ os expurgabat: in-
 cessante scilicet illum scrupulo, quòd illud
 digitis attigisset nondum ablutis. Sæpenu-
 merò inter sanctum Sacrificium, riuuli la-
 crymarum ex eius oculis emanabant, nec in-
 frequenter, dum secretis, quas vocant, pre-
 cationibus intenderet, cupiebat pulsari orga-
 na tono submisso, itemque cùm diebus Fe-
 stis distribueretur Fratribus sacra Commu-
 nio, filiorum suorum animas ad cælestis pa-
 triæ amorem ea ratione succendens,

Z s

CA-

CAPVT XI.

Aſidua Camilli precatio, & opera mirabilia qua Deus illius vi patrare viſus eſt.

ERat Camillus in precatone, in lectione ſpiritali, in meditatione perquam aſiduus, bonamque tam noctis quam diei partem in iis inſumebat: neque quod in opera miſericordiæ tam propenſo eſſet animo, propterea deſiſtebat, quin ſemper aliquid pium ſanctumque mente volueret ac reuolueret. Cùm peregrè proficiſceretur, non modò horam meditationis ſuæ quotidie manè per itinera explebat, tenens manu, & idemtidem reſpiciens ſuum Crucifixum, ſed etiam conuerſâ clepſydrâ (quam ſecum deferebat) ab omnibus eandem fieri meditationem imperabat. Tum verò præcipuè in eius meditatione exardeſcebat ignis, cùm in mediis ſiluis aut aliis locis ſolitariis ambularet, aut veheretur. Stupebât porrò omnes, hominem tam vlcerofum, quàm ipſe erat, tam diu genibus flexis perſeuerare, præſertim habentem in iisdem genibus duplex callum, ſeu gemina oſſa permultùm acuta. Sæpè viſus eſt in orationibus ſuis copioſiſſimos fundere imbres
lacry-

lacrymarum, dum modò iunctis manibus,
 modò brachiis apertis ad sanctissimi Cruci-
 fixi pedes (erga quam imaginem semper fuit
 supra modum affectus) feruidas preces fun-
 deret. Fuit, cum in Nosocomio Annuntiatae
 Neapoli Frater quispiam media nocte eum
 ad excubias vocatum & portatum ipsi lumen
 iuerit : sed cum aliquoties eius fores cubicu-
 li pulsasset, nec responsum audiret, apertâ
 tandem ianuâ ingressus, inuenit eundem
 Patrem iam vestitum stare in medio cubicu-
 li erectum, iunctis manibus & oculis ad cæ-
 lum versis, absque alio motu: quem cum vo-
 casset, & ille nullum auditus alteriusve sen-
 sus signum edidisset, accensâ eius lucernâ eo-
 dem in statu illum reliquit quo inuenerat,
 & abiit. Solitus erat frequenter offerre Patri
 æterno amarissimam Filij sui Passionem pro
 peccatis totius mundi, & speciatim pro san-
 ctæ Ecclesiæ necessitatibus. Crebrò item suis
 Religiosis commendabat, vti memores es-
 sent semper Deum deprecari pro omnibus
 Religionis benefactoribus, tam viuis quàm
 defunctis, & pro animabus Purgatorij, &
 pro ijs qui erant in peccato mortali, & spe-
 ciatim pro iis, qui in extremo vitæ articulo
 de salute periclitabantur : consueueratque
 dicere, nostros omnes Religiosos, licet in suis
 manerent cubiculis, posse per orationes ad-
 esse

esse omnibus, quotquot in mundo reperirentur, moribundis, eorumque animas Deo commendare. Volebat denique, ut sui semper orarent, aut aliquid pij meditentur, siue domi manerent, siue per vias irent, siue in Nosocomijs laborarent, dicebatque: *Vae illi Religioso, qui sola meditationis matutine hora contentus est: post autem, omne quod residuum est temporis, in hac & illa mente distractus transigit: quippe talis nihil reperiet vesperi, nisi manus suas muscis & vento plenas.* Ad summam cupiebat solum corpus exercitijs exterioribus esse occupatum, animam verò, quoad eius fieri posset, cum Deo interiorius semper versari. Inter alia quæ in precibus suis instanter à Deo postulabat, vnum erat, ut animam eius ab omni peccatorum macula emundaret, eamque ad pristinum innocentia Baptismo acquisita statum reduceret. Quocirca omnem cuiuslibet errati vel tenuem umbram magno studio deuitabat. Neque verò in suis orationibus nimis alta ac sublimia petebat, sed Christi sanctissimo lateri se includens, illic instar amantis columbae in cauerna maceriae demorabatur, ibi gratiam exposcebat, ibi excelsa ac diuina colloquia cum Domino suo dilecto miscebat. De cetero totus illi mundus mortuus erat & crucifixus, precabaturque, non iam aliquem

quem gustum suavitatis in ve caelestem percipere, sed potius vires in laboribus ampliores, & plus fortitudinis ad ea, quæ salutem tangunt animarum, suscipienda & exequenda impetrare. Non raro ad mortuorum sepulchra se conferebat, flexis super illa genibus preces ad Deum fusurus: deinde in suis spiritualibus cohortationibus dicere ad suos solebat: *O si Patres hi & Fratres, qui in istis fossis sepulti iacent, reuerti ad vitam possent, quàm animis feruentes essent, quàm Regularum obseruantes, quàm amantes pauperum! Et ego ingratus, qui hîc sum non ista cogito? & tædet me laborare?* De hac ipsa sancta virtute, ad instruendos simplices ac rudiores Fratres verba faciens, ita dixit: *Frater mi, cum stas ad orationem, si aliquam in te deuotionem sentias aut consolationem spiritualem, gratias age Deo: sin minus, ne propterea contristeris, semper cogitans, te aliqua tua culpa eam non mereri. Verùm enim uerò non debes, quando te aridum & siccum senseris, idè cessare ab oratione, sed magis quàm umquam in ea perseuerare. Et quamuis tibi tum appareat, non posse te animum in te ipso recolligere, saltem vim & conatum adhibe, & unum fac de tribus: aut sanctissimæ Virginis Rosarium recita, aut semper imaginem Crucifixi contemplare, aut, si nec id potes, saltem nihil aliud quàm decerta, & à mente*

mente tua cogitationes vanas otiosasque detur-
ba. At licet tota hora tali in pugna ac certamine
transuolēt, scias eam valdè bene esse impensam,
& pergratum Deo fore tuum intueri certamen.
 Visus est quoque Dominus Deus multis in
 occasionibus & necessitatibus exaudisse ser-
 uii sui orationes, quemadmodum sequenti-
 bus exemplis planum fiet. Anno millesimo
 quingentesimo octogesimo tertio, ad vigesi-
 mam sextam Aprilis, cùm Camillus in S. Ia-
 cobi Nosocomio esset Præfectus Domus, Ro-
 mæ exortus est contra satellites tumultus po-
 puli (quemadmodû in Vita Gregorij XIII.
 Pontificis fusè perscriptum est) & quia duo
 illorum satellitum intra Nosocomium fugâ
 euaserant, seque & suam salutem Camillo
 commendauerant; ipse eorum miseratione
 motus, illos in cellam quamdam lignariam
 abductos abscondit, & fascibus lignisque
 operuit. Quod populus paullo post resciscens,
 magno agmine ad Nosocomij portam ac-
 currit, & strictis gladiis, dictos satellites ad
 necem deposcit: quibus occurrens Camillus,
 summa vi precum institit, vt hos duos pau-
 peres & insontes, qui in domum Dei & ad
 misericordiæ locum confugerant, saluos vel-
 lent: sed illis in peruerso proposito obstina-
 tis, nesciens Camillus quid ultra faceret, ab-
 cessit, & se in paruam S. Iacobi ædiculam

inclu-

includens, coram sanctissimæ Virginis Alta-
 in procidit in genua, precatuſque est multis
 cum lacrymis, & ex toto intimi cordis affe-
 ctu, ne permetteret eiufmodi in hac domo
 committi homicidium, maximaque in eam
 factâ fiduciâ, visus est demum sibi de illo-
 rum salute & liberatione à mortis periculo
 certus esse. Vnde foras denuò contra multi-
 tudinem egressus, tanta illam vehementia, vt
 sanguini parceret, exoravit, præsertim san-
 ctissima Virgine gratiam eius ori atque ser-
 monibus, & lacrymas oculis affundente, vt
 eos tandem flexerit, mitesque reddiderit. Ita
 isti duo miseri infantes, qui hæctenus nihil
 aliud quàm mortem expectabant, populi
 tumultuantis gladios euaserunt. Aliàs sub
 iuncta erectæ Congregationis, tanta idem
 Camillus aliquando laboravit nummorum
 penuria, vt nesciret, quo pacto posset huma-
 nitus quotidiano Patrum victui sufficere ne-
 cessaria, quandoquidem crebrò ad tabernam
 nummulariam Altouitorum profectus, pro
 exigenda solutione certæ syngraphæ populi
 Romani ducentorum quinquaginta aureo-
 rum, nihil vniquam potuisset impetrare, di-
 cente nummulario, nihil ampliùs inibi resta-
 re nummorum populi Romani: ita vt in ma-
 ximis tum esset rei domesticæ angustijs. Ita-
 que nullibi eo in tempore patere videns per-
 fugium,

368 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
fugium, ad orationem recursum habuit: quâ
peractâ egressus domo, obuium habuit Cæ-
saré Zatteram mensarium Augustini Pinelli;
qui intellecta eius arcta necessitate, eidem
persoluit illo ipso die dictam syngrapham,
tametsi in suo arario nullum haberet popu-
li Romani nummum. Atque hoc pacto le-
uata est domus præsentī necessitate atque an-
gustis. Anno millesimo quingentesimo no-
nagesimo fuit in nostra Congregatione qui-
dam subditus Godefridus nomine, adole-
scens Nobilis & magnæ expectationis, qui
menses minimùm tredecim in Congrega-
tione exegerat, sed tanta vi & tam reluctan-
te natura, vt in continuo detineri videretur
martyrio, præsertim immisso illi à dæmone
prorsus insolito horrore infirmorum: igitur
non valens diutiùs tam intolerabiles perfer-
re animi cruciatus, statuit è nostra Congre-
gatione discedere, atque in Montis Cassini
Cœnobium se transferre. Vbi cum tandem
admissus fuisset, & litteras suæ admissionis
accepisset, facultatem à Camillo experijt abs-
cedendi: qui ipsum ob insignes animi dotes
multùm diligens, haud mediocriter vt reti-
neret laborauit. Sed ille propositi sui re-
nax, vestes suas pristinas atque mundanas
vnà cum gladio & aliis ad equitandum ne-
cessariis sibi reddi postulauit, vt postero
die

die manè vias suas retrorsum abiret. Fuit hoc sanè Camillo quàm ingratum. Igitur ad preces. Et ecce istum eadè ipsa nocte (cùm aliqui iam modò fuisset sanissimus) corripit febris, eaque tam repentina atque terribilis, & tanto cum frigore stridoreque & collisione dentium, vt res profus appareret insolita. Ad quem accitus Camillus, vt eum vidit tam malè constitutum, & tot opertum stragulis inusitato frigore horrentem, petiit num animus ipsi iam esset è Congregatione discedendi: tum Godefridus suum sentiens errorem, *Minimè, inquit, Pater, minimè: immò ex hac hora votum Deo nuncupo hìc remanendi, & in hac Congregatione moriendi.* Atque vt dictorum confirmaret veritatem, litteras, quas de sui admissione in Montem Cassinum acceperat, Camillo exhibuit, vt lacera- ret. Qua de re actis plurimis Deo gratijs, consolatus eum est Camillus, iubens bono esse animo, quia nequaquam deinceps futurus esset alius quàm nunc esset: vti & accidit. Nam intra dies quindecim pristinam sanitatem recuperavit, & in Religione ad finem vsque vitæ perseueravit: fuitque vnus ex ijs, qui Romæ primam professionem fecerunt, dum Religio nostra recens fundaretur. Anno Domini millesimo sexcentesimo secundo, circa octauam Decembris, nauigante Camil-

lo vnà cum Patre Dominico Surrentino, & aliis quibusdã è nostris Neapoli Genuam in triremibus eius Reipublicæ, tam sæua illis superuenit tēpestas maris, vt cuncti de se actum existimarent, nec spem vllam salutis superesse rati, sublata voce inclamarent *miserericordiam, misericordiam*. In hac igitur extrema salutis desperatione, Domina Marchionissa Imperialis vnà cum Marchione marito suo, qui in eadem cum Camillo triremi nauigabant, vicinam mortem oculis cernentes, eum rogarunt, vt orationem pro ipsis ad Dominum funderet, vt illius misericordiã cuncti è tam grandi periculo eximerentur. Sed dicente Camillo, vt ad Deum ipsi se conuerterent, non autem ad se hominem peccatorem, & exaudiri indignum, eò magis Domini illi instabant, vt saltem quinquies *Pater noster* & quinquies *Aue Maria* ad Iesu Christi Vulnera, ipsis in hoc gratificans, recitaret. Vnde eorum coactus precibus, deorsum ad Capitanei cubiculum descendit, vt quod rogatus erat præstaret. Nec longa mora, & apparuit vis precum, & Dei misericordia. Nam actutum ita quieuit mare, & cessauit tempestas, vt cuncti qui paullò antè plangebant, & elatis vocibus misericordiam inclamabant, tanta subito repleti sint consolatione atque voluptate, vt reuerso ad puppim Camil-

Camillo infinitas egerint gratias. Dicebant autem speciatim vidisse se, quàm primùm descendisset deorsum Camillus, magna cum admiratione ventum tempestatemq; quiescere: sed Camillus sancta verecundia suffusus respondit, illorum fidem ac deuotionem id à Domino impetrasse, non verò se nec obsecrationes suas. Sanè tam euidenter id beneficium eius orationi est attributum, vt adolescens quidam Nobilis & alius quidam vector, cernentes se tanto discrimini ereptos, ad Deum se conuerterint, atque à Camillo admitti in Religionem ardentè constanterque exposcerint, & obtinuerint. Ambo deinde in eadem Religione vitam finiuerunt: quorum vnus erat Paullus Grimoaldus, Ducis Eboli filius, qui Professus Romæ obiit; alter autem Damianus Corsus, qui Mediolani excessit Nouitijs. Aliàs renatigans idem Camillus Messanâ Neapolim cum multis Professis simul ac Nouitijs, in tîremibus iisdem Genuensibus (nempe anno Domini millesimo sexcentesimo tertio, Augusti mensis die vigesima sexta) aliud graue incurrit ad Caprearum fauces naufragij periculum. Quippe tanta fuit tempesta, tamque horrenda ac terribilis, vt affirmaret, numquam se aliàs maius aduisse discrimen: quippe nocte obscura & tenebrosa in loco

periculoso, mixtis tanto furore atque impetu, pluuia, fulgure, grandine, vt appareret cunctos & breuî & certò submergendos: quippe non paucis eodem loco antè perditis, quos ventus sublato in mare præcipitauerat. Igitur illa nocte adedò infelici dum clamoribus omnia resonarent, & cuncti in expectatione mortis essent, Camillus in vnum cubiculum digressus, atque ad cæleste respiciens auxilium, Dei misericordiam iuit imploratum. Duo interim Nobiles eum interpellantes, *Pater*, inquit, *pro nobis Deum deprecare, de quorû omnium salute conclamatum est: & ille ad eos conuersus, In signum*, inquit, *pœnitentiæ, & ad placandam iram Domini, iam iam istos capillorum vestrorum cincinnos resecate, & hîc mecum orationi incumbite, ac timere desinite. Spero enim in Domino minimè futurum, vt pereamus.* Nec mora, cincinnos in eius præsentia quàm citissimè resecerunt, toti que madidi ac tremebundi, ad coniungendas preces precibus se applicuerunt. Quo in timore perstiterunt ad auroram vsque: tum sole dilucescente, etiam diuinæ bonitatis Sol emicuit, & è tanta ipsos tempestate ac procella eripuit. Anno salutis millesimo sexcentesimo quinto, Bocchianici quadam die manè, Camillus vnà cum Patre Dominico Carruccio, & aliis è nostris, apud Omphrium

phrium confobrinum suum prandebat: vix autem manducandi finem fecerat, cum tam profunda cogitatione immersus, atque à se quodam modò alienatus est, vt totus mutus & cogitabundus, quasi rem aliquam magna mentis acie perspiceret, à cunctis notaretur. Eâ verò ipsâ horâ, cum vetus quoddam ædificium eo loco, vbi noua fabrica in usus nostros construenda erat, destrueretur, ecce totum derepentè supra decem fabros cæmentarios, qui ibi subtus operabantur, corruit. Disperso mox circumquaque rumore, multi ad Camillum cucurrere id infortunij denuntiatum: ij attulere cunctos ibi cæmentarios eâ ruinâ oppressos, obtectosque, vno dumtaxat excepto, cuius extra delapsam materiam extaret caput. Tum Camillus animo prorsus imperturbato, quin & vultu alacri, *Agitedum*, inquit, *eamus istos missellos adiutum: quandoquidem bonus Dominus ne vnus quidem (quâ est in nos misericordiâ) perire voluerit. Nam omnes inueniemus saluos: nec vincet hîc demon, nec bonum hoc impediet.* Ita ergo, vt dixerat, per Dei gratiam fuit: siquidem effossa macerie cunctos offenderunt viuos, prorsusque illæsos. Quod magno Domini miraculo est attributum. Vnicus dumtaxat illorum Magister, Marcus appellatus, non mediocriter tracto capite reper-

374 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
tus est : quod vnicuique eo admirationem
auxit, quòd iusto Dei iudicio id passus vide-
retur : quandoquidem solitus erat idem Ma-
gister de Patribus nostris idemtidem cõque-
ri, quòd se ac socios Româ eductos in mon-
tes istos abduxissent, vbi multa paterentur.
Denique omnes magnoperè obstupuerunt,
ijque potissimum qui præsentes aderant,
cum Camillus finito prandio tam alta ac
profunda cogitatione subitò correptus fuit,
coniecturam inde sumentes, eum aliquid
de ista ruina in spiritu præuidisse, Deoque
super ea supplicasse. Aliud in eadem fabrica
occurrit non indignum obseruatu : quòd sci-
licet deficiente in vicinis locis arena, quæ
ædificationi propter conficiendam calcem
est necessaria (erat hæc è valdè longinquo
non absque magnis & impensis & incom-
modis afferenda) quòd inquam, illa Dei
semper incomprehensâ bonitas ad serui sui
Camilli solatium, & ad maiores popularibus
suis dandos animos (ne fortè impensarum
terrèrentur magnitudine) effecerit, vt in quo-
dam dicti Onuphrij prædio, arena eiusmodi
à formicis sua horrea condentibus egere-
retur. Quâ notatâ, & ibidem terrâ effodi
iussâ, ad arenæ venam ventum est, è qua de-
inceps idem Onuphrius, quantum toti stru-
cturæ necessarium fuit, gratis ac liberaliter
suppe-

suppeditavit. Ad benignam Dei providentiam spectat quod sequitur. Cùm enim aliquando in nostra Domo Neapolitana centum essent minimùm personæ, neque in antemeridianum tempus satis esset panis, iamque hora instaret prandij, contulit se Curator triclinij ad Camillum, indicavitque, panem ad prandium non sufficere, & simul quæsiuit, num placeret vt signum daretur ad prandium. At ille in Domino confisus, *Ite*, inquit, & *date signum prandio*. Quod licet satis alienum Ministro appareret, iuit tamen ad præstandum obedientiæ munus, & ecce, dum manum funi campanulæ ad pulsandum admouet, alteram audit pulsari campanam, & vi quidem magna ad ostium extraordinarium, per quod scilicet curribus & iumentis datur introitus: quò profecti, deprehendunt à Proregina Comite Beneuentana missum famulum cum multis baiulis frumento & pane albissimo onustis: è quibus panibus, tamquam à diuina missis providentia, voluit Camillus suas partes communicari cum alijs omnibus Patribus & Fratribus, tam qui in Nouitiatu quàm qui in Nosocomijs demorabantur. Aliàs idem Camillus iter agens cùm Patre Cæsare Bonino, vbi ad locum deuênit, qui in multas vias dissecabatur, ignarus tam ipse quàm socius,

376 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
quæ bona esset, ibi hærebant mente confusi,
maximè quòd serum iam tempus esset: tum
focio suo Camillus, *Claudamus*, inquit, *oculos*,
& *equis subdamus calcaria*, *speremusque*
Deum in iter bonum nos immissurum. Ita fece-
runt, ita inuenerunt. Aliàs item sæpiùs varia
agenti itinera nox superuenit, & in locis qui-
dem periculosis, ac præcipitiorum, & aqua-
rum, & niuium plenis, cumq̃ue se existima-
ret funditus esse perditum, quia viam nec
videret nec sciret, habito ad orationem per-
fugio, statim velut miraculo, & quasi sancto
Angelo custode comitante, omni se periculo
miratus est expeditum.

CAPVT XII.

*Camilli erga Sanctos deuotio, &
mortis meditatio.*

EAm precationis formam diligebat &
celebrabat Camillus, quæ adiunctam
haberet deuotionem. Neque enim hanc vir-
tutem à feruidis suis orationibus abesse vni-
quam patiebatur. Multus etiam erat in San-
ctorum inuocatione, sed nominatim beatif-
simæ Virginis, quam peculiari semper cultu
prosequebatur; & cui Rosarium quotidie
tantâ curâ recitabat, vt priùs lectum ascen-
dere,

dere, nisi eo decurso, numquam posset. Re-
 uersus aliquando à sancta Æde Lauretana,
 dum Fratribus suis Genuæ fasciculum Rosa-
 riorum distribueret, adfuit inter alios Sacer-
 dos quidam, vt vnum quoque acciperet;
 quem intuens Camillus, *Nec tu, inquit, habes
 Rosarium?* illoque respondente non habere,
 tum ipse exiguam eius deuotionem admi-
 ratas, *Sacerdos, inquit, sine Rosario? Deus ho-
 nori tuo consulat.* Numquam ante alicuius
 Sancti imaginē sciens transibat, quin aperto
 capite, licet multa proriente pluuia, reueren-
 tiam illi exhiberet. Videbatur autem pecu-
 liare quiddam auxiliij ac fauoris à suo custo-
 de Angelo recepisse. Ita illi deuotus erat, ita
 eius memoriam ac deuotionem aliis com-
 mendabat. Sæpè ad Stationes vrbis Romæ,
 & ad Musicos templorum concentus acce-
 debat. Dicebat enim, ipsum sanctum Au-
 gustinum à sua conuersione ad Christum,
 mirificè illis fuisse delectatum. Quibus ta-
 men in rebus semper cauit ab omni immo-
 derato affectu, neque tantillum propter eius-
 modi voluptates à suo Nosocomiorum amo-
 re verisq; animi sui deliciis desciiuit. Iuerat
 nonnumquam ad audiendas in vno è princi-
 pibus Romæ templis Vesperas: vnde post
 regressus domum, & socio de audita Musi-
 ca discurrente, *Mihi verò, inquit, alia quæ-*
dam

378 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
dam musica magis arridet: & quærenti socio
quænam illa, Mihi magis, inquit, arridet ea
musica, quam pauperes infirmi in Nosocomiis
conficiunt, dum multi simul clamantes dicunt:
Pater, da mihi ad refrigerandum os, Pater, ster-
ne mihi lectum, Pater, calefac mihi pedes. Ar-
que hæc est illa musica, quæ potissimum pla-
cere ministris infirmorum meritò debeat. In
anni Iubilei ingressu (qui fuit Domini mille-
simus sexcentessimus) statim secundo die, ad
lucrificiendas Iubilei indulgentias maximo
cum feruore se accinxit, & quatuor templa
sancti Petri, sancti Paulli, sancti Ioannis, &
sanctæ Mariæ Maioris trigesies visitauit, ni-
hil magnoperè curans nec temporum incle-
mentiam, nec viarum foeditatem, quas con-
tinuæ hiemis pluuiæ deformauerant. Mira-
bantur autè omnes, quî posset ipse cum vl-
cerosa tibia, tertidò quartòve singulis hebdo-
madibus & semper ieiunus, & præsertim tẽ-
pore Quadragesimæ ad templa iam dicta in-
cedere: sed hoc maiori erat admirationi,
quòd à templorum visitatione reuersus do-
mum continere se non posset, quin vesperi
ad Nosocomium sancti Spiritus vigilatum
apud infirmos se transferret. Vtebatur inter-
dum in istis itineribus scipione, præsertim
cùm magnum ex tibia dolorem persentisce-
ret: cùm autem non vteretur, dabat Patri
Alex.

Alexandro Gallo portandum sub pallio: cui
& curam dederat notandi, quoties ad dicta
templa iuisset. Ibat porrò per vias tam col-
lecto animo, vt credi posset Nouitijs iam pri-
mùm in Congregationem admissus, semper
ferè in silentio, aut certè Rosariũ decurrens,
aut de rebus spiritualibus conferens. Finem
dictis triginta visitationibus imposuit secun-
dâ Aprilis, ipsâ die solemnissimâ Paschatis,
cùm incepisset secundâ Ianuarij: Confessio-
nemque instituit generalem totius anteaactæ
vitæ ipso Sabbato sancto, Patri Francisco
Prophetæ, magna deuotione, & cum pluri-
ma lacrymarum copia. Continua siti pre-
mebatur audiendi verbi Dei; atque ad Con-
ciones sacras, vbi permitterent negotia, cre-
brò adibat, atque vt plurimùm in populi
subsellis, & infimæ plebis scamnis sedebat,
& quamuis à multis Religiosis viris, quibus
erat notus, obuiam ipsi iretur, atque ad pri-
ma loca inuitaretur, ipse tamen, actis mode-
stè gratiis, constanter renuebat, atque in di-
ctis humilibus scamnis residebat. Quippe cui
nihil esse poterat nec gratius, nec dulcius,
quàm in medio versari pauperum. Postea ve-
rò cùm verba haberet ad populum, præter
alia dicere etiam illud solebat, desiderare se
linguam sancti Paulli, ad totum mundum in
Dei agnitionem & honorem pertrahendum,
& ad

& ad omnes mortales in horrorem peccati perpellendos. Dicitum illi est aliquando Bocchianici, multos populares, dum in templo concionaretur, templum non ingredi, sed foris in propatulo stare & confabulari: tum ipse gemebundus, *Necesse est, inquit, ut de hoc populo per vim benè merear.* Progressus ergo in publicam ante templum aream, & concenso ibi altiore scamno, tenensque manu suam Crucifixi effigiem, sermonem ad eos habuit, quem sic exorsus est: *Quandoquidem ad me venire in templum non vultis, neque magnopere Dei verbum audire cordi habetis, ego ipse huc ad vos in publicum procedere, atque ad spiritualem histrioniam pro animabus vestris proficere non dubitavi.* Multis deinde grauibus ad inferendum peccati horrorem rationibus in medio positis, ita conclusit: *Quemadmodum alij Histriones ad finem nugarum suarum, semper aliqua vana venundant populo; sic ego ad extremum exhortationis meae non quidem vendere, sed donare rem vnam sacram ac benedictam vobis volo.* Tum cunctis ad eum spectandum erectis, & quidnam dare vellet expectantibus, immissa in sinum manu, cucullum eduxit sacris numismatibus plenum, quorum singula diuisit singulis; deinde & chartam indulgentiarum protulit, & per capita legit & exposuit: sed quia difficile videbatur,

batur, vt tam multa mente retinerent, iussit dictam chartam ad templi valuas affigi, quò posset vnusquisque vel eam legere, vel ab alio lectam audire. Aliàs quoque ibidem Bocchianici, dum concionaretur in templo sancti Francisci, & animaduerteteret populum non satis fructus è tot concionibus suis reportare, semperque esse aliquos qui dies festos non celebrarent, neque Sacrificio iisdem diebus interessent, ipse vt ab his peccatis eos abstereret atque abstraheret, pedibus contra templi pauimentum vehementer complofis, exclamans dixit: *Hem vos mortui, qui hisce in fossis iacetis tumultati, quando hic populus mihi non vult credere, surgite & venite cuncti ad testimonium ipsis perhibendum, verumne sit quod dico, hoc est, an verum sit in altero mundo paradysum inueniri, atque infernum: eoque modo homines ab offensis & mandatorum Dei violationibus reuocabat. De nullo autem argumento in Concionibus agebat frequentius, quàm de quatuor Nouissimis; & præ omnibus multum infumebat temporis in eorum expositione, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ad Confessionis circumstantias, & ad examen conscientiæ, quod confessioni præuertendum est, atinent. Dum ad iuuandos iret moribundos, si quospiam ibi extraneos inueniret, tum illis hoc ipsum mori-*

382 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
moribundi spectaculum proponens, breuiter
de ipsa morte sermunculum habebat, deque
stricta ac minutissima ratione, quæ in hor-
rendo illo transitu exigenda est. Tam fami-
liaris porrò illi erat mortis meditatio, vt ipsa
cum eo assiduè & vigilaret, & pernoctaret:
vnde & omnem rerum terrenarum gustum
sic amiserat, vt nihil propemodum curaret,
quidquid in mundo intueretur. Cunctarum
autem cogitationum summam ad duorum
dumtaxat punctorum meditationem re-
strinxerat, hoc est ad præsentis vitæ breuita-
tem, & ad futuræ æternitatem: super quibus
velut super duobus polis, tota suæ considera-
tionis rota voluebatur. Ab officij sui abdica-
tione cùm Romæ esset, ei que vnus è nostris
Patribus dixisset: *Pater, quid causæ est, quam-
obrem tua Reuerentia non eat aliquando salu-
tatum Cardinalem nostrum Protectorem, aut
Cardinalem de Monte, aut Lantium, aut Cre-
scentium, viros tui tam studiosos? aut etiam
alium quempiam ex illis magnis Cardinalibus,
& Pontificum nepotibus, de Religione nostra
benè meritis, seu Monte alto, seu Sfondratum,
seu Aldobrandinum, seu Burghesium?* respon-
dit ipse: *Pater mi, non est ampliùs dehinc tem-
pus, vt Camillus huiusmodi intendat, vacet
salutationibus. Camillus aptata pedibus gestat
calcaria, & in horas expectat, dum iubeatur co-*

ram

ram diuino tribunali comparere: quare id
 eum iam opus habet, ut omnes spes suas & co-
 gitationes in celo defigat. Aliàs itidem Ro-
 mæ, cum obuius illi quidam ex Ecclesiæ Pri-
 matibus ipsi peramicus dixisset, *O Pater mi*
dilecte, quam dudum paternitatem tuam non
vidi! Quis cum illa agitur? ille autem, defixis
 sursum potius quàm humi cogitationibus,
 respondit: *Reuerendissime Domine, senes su-*
mus, & isthorsum nobis iter dirigendum est,
 manu commonstrans cælum, *Sic est,* subiun-
 git bonus ille Prælati; & post mutuos san-
 ctæ charitatis amplexus abscesserunt: sed ita,
 ut ille oculos referret lacrymarum grauidos.
 Tanta è Camilli verbis eum animi teneritu-
 do inceserat. Bocchianici loquens cum O-
 nuphrio de Lellis, suo consobrino, homine
 locuplete (qui fuit pater Alexandri de Lel-
 lis nunc primi eius familiæ) in sermonem de
 morte tanta vi & efficacia verborum delap-
 sus est, ut conterritus Onuphrius dixerit: *Pa-*
ter mi, tua Paternitas istis suis verbis me ter-
refacit. Quo in sermone visus est Camillus
 vicinam ipsius Onuphrij præsensisse mor-
 tem, cum non ampliùs quarto post mense
 ad vitam aliam emigrarit. Cum aliàs idem
 Camillus in Nosocomio sancti Spiritus le-
 ctum cuidam infirmo intra stultorum domi-
 ciliu iacenti reparare vellet, isque non satis
 prom-

384 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
promptè ob magnam debilitatem, & senij
grauitatem valeret è lecto surgere; & excu-
sans diceret: *Cùm essem iuuenis, & miles, longè
aliter saltabam, quàm in præsentia: ego illo
tempore eram in tali exercitu, & illo anno in
tali: ego interfui obsidioni & occupationi talis
& talis ciuitatis in Flandria, & nominatim
in Antuerpiana ciuitatis expugnatione, & cu-
iusdam etiam alterius, in quam ego primus om-
nium insilui: hæc, inquam, & plura egre-
gia ac strenua facinora cùm enarrasset, tum
Camillus, qui semper illum hætenus sua
commemorantè benefacta patienter auscul-
tauerat, *Agedum, inquit, mi Frater, nunc
quando consenuisti, non aliud tibi restat virtu-
tis tuæ ac strenuitatis dandum specimen, quàm
vnius dumtaxat alijs saltus, hinc infernè illuc
sursum; inter quæ, manu terram ostendebat
& cælum. Atque de hoc saltu à terra in cæ-
lum, ad breuem super vicina morte fermoci-
nationem ascendens hortatus est, vt ad eam
staret præparatus, sibi quæ bona opera in via-
ticum prouideret: maximæ alioqui esse de-
mentia, tam longinquo se itineri absque ido-
neo comœatu committere. Aliàs Romæ,
dum in quadam Religionis nostræ vinea
cum aliquot è nostris ageret, vbi amplius tri-
ginta homines terram colebant, ipse illis va-
ledicens, *Fratres, inquit, illuc sursum respici-*
*te, &***

te, & mementote non amplius in celo fore, nec
 legones, nec palas, sed semper vitam eternam,
 & quietem eternam: ac propterea de morte
 idemdem cogitate, & facite vt semper sitis
 in gratia Dei: & his dictis abcessit. Ita bo-
 nus Pater illam mortis falcem continuò pe-
 dibus suis imminentem cernere quodam-
 modò videbatur. Spectabat item crebrò
 corpus aliquod mortuum, aut hominem in
 extremo vitæ certamine de summa rerum
 periclitantem, & in iis vitæ humanæ supre-
 mam miseriam mentis acie cõtemplabatur:
 quin & ea de caussa non rarò ad cœmete-
 ria, aut ad sacros campos, tantùm vt huma-
 ni dicta cadauera conspiceret, properabat.
 Dum Romæ aliquando Nosocomij Rheda-
 rum curam gereret, atque ad eum visendum
 locum Cardinalis Cusanus accessisset, post-
 quam ei Camillus diuersa loca ostendit, vt
 culinam, penum, vestiariū, paullatim eum
 deduxit ad locum mortuis deputatum, vbi
 erant minimùm quatuordecim hūmi abie-
 cti, ex quo aspectu restitit attonitus Cardina-
 lis, tantam hominum mortuorum struem vi-
 dere non sustinens; sed Camillus in eiusmodi
 schola & in talibus horroris spectaculis viue-
 re discebat, vt sciret mori, erantq; ea cadauera
 eius libri, in quibus studebat, & addiscebat
 tam mundum contemnere, quàm proximos

386 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
suos diligere. Præter mortis meditationem,
viuebat etiam in illo vehementissimus diu-
norum iudiciorum timor : de quibus iudiciis
cùm die quadam manè attentius cogitaret,
tantus eum derepentè de salutis suæ incerti-
tudine pauor inuasit , vt de illo cum Patre
Blasio tum Generale colloquens, mixto su-
spirio dixerit : *Quis scit , quis scit , quid me fu-
turum sit ? quis scit , an ego saluandus sim ?* A
quo etiam tempore incepit strictius obserua-
re silentiũ, timens diuinam Maiestatem vel
in quauis re minima offendere. Consueuerat
quoque hæc verba sæpius vsurpare : *In altera
quidem vita nihil aliud ad me attinet , nisi aut
æternitas bonorum , aut æternitas pœnarũ.* Alias
ex eodem Camillo in Nosocomio de more
versanti, & vultum non adeò amœnum, sed
subtristem gerenti, cùm esset quæsitum, quid
iste malus color tenorque vultus vellet , re-
spondit : *Si homo ad seriam mortis considera-
tionem applicaret animum , certum est , nun-
quam eum esse locuturum : & ego de hoc cogi-
tando totus cohorresco.* Deinde dicebat : *Quid
me fiet Domine , quid me fiet ? Debet Sanguis
tuus me saluare.* Persecuti sunt illum ali-
quando diaboli , maximam in eum rabiẽ
demonstrantes. Vnde nocte quadam Romæ,
in suo cubiculo quietem captans, auditus est
magna voce clamare, & altercari, & in auxi-
lium

lum Patrem Franciscum Prophetam, vt citò
 accederet, & librum Commendationis ani-
 marum vnà secum afferret, contento vocis
 sono aduocare. Cui iam presenti mādauit sibi
 protestationes prælegi, velut iamiam ad Do-
 minum transituro: nec vmquam facti huius
 resciri caussa potuit: solùm sermo per domũ
 dispersus fuit, diabolum voluisse eum stran-
 gulare. Fuit Genuæ femina quædam Marga-
 rita nomine à malis spiritibus obsessa, quæ in
 Nosocomio iacebat infirma: ad illam cùm
 accederet Camillus, cœperunt isti magnam
 indignationem aduersus eum ostendere, &
 grauitè interminari, & appellitare, modò
 Camelum, modò Longonem, modò Gam-
 bonem. Mediolani iuuenis erat octodecim
 annorum à demone similiter obsessus, quem
 Sacerdos quidam cùm adiuraret, tantis affe-
 ctus est ab eo dieteriis & contumeliis, puden-
 diſque factis, vt totus restaret confusus. Di-
 gressio autem eo Sacerdote, diabolus Beelze-
 bub appellatus, relicto illo iuuenè quieto
 deorsum descendit: & quia tum in eadem
 domo erat Frater quidam è nostris eleëmō-
 synarum procurator, cum eo iuuenis est col-
 locutus. Data autem inter colloquendum
 occasione, sermo incidit de Camillo: mox
 igitur malignus ille spiritus in iuuenis lin-
 guam denuò resilit, sicque conturbat, vt vel-

388 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ut igni in oculos immisso, & comis in capite
erectis, rugitum instar leonis ederet, & hæc
verba bis expressim diceret: *Ne mihi istum
nomines, ne mihi istum nomines, quia nomen
eius audire non possum.* Ad se deinde reuersus,
& interrogatus quamobrem ita fuisset con-
turbatus, respondit, statim audito eius no-
mine sibi cor quasi suffocari sensisse, quippe
eo nomine dæmonibus incredibiliter exo-
so. Quæ res magnam admirationem cun-
ctis, qui ibi tum aderant, excitauit: præ-
sertim quòd ille iuuenis nec vidisset um-
quam Camillum, nec nominari à quoquam
audiuisset.

CAPVT XIII.

*Camilli Temperantia, & zelus in obser-
uandis sanctæ Ecclesiæ ieiuniis.*

FVit Camillus in ratione victus rara qua-
dam & singulari temperantia: nihil um-
quam non modò appetens extraordinarium,
sed ne admittens quidem: semper commu-
ni omnibus paratu contentus, nec ferè um-
quam seorsum, sed in cœnatione ipsa com-
muni cibum sumpsit. Vinum multâ aquâ
temperabat; & secùs facientes paterna ad-
monitione corrigebat. Neque dumtaxat,
dum sanus valensque esset, nihil petiit, nihil
voluit

voluit peculiare, sed tum etiam cum ob multam infirmitatem singulari subsidio non mediocriter indigeret. Omni genere ciborum utebatur indiscriminatim; nec multum curabat, seu bene conditi essent, seu male; seu cocti, seu non cocti; seu insipidi, seu valde salsi: nec vllum de his verbum, nedum querimoniam ab illo audisses. Quin etiam, ne vllum in huiusmodi tempus perderet, si quando horis matutinis in Nosocomio remaneret, ipse sui perdomandi causa, suam portiunculam ad solis radios recalefaciebat; quod tamen ipsum magis amaritiei causa quam recalefactionis faciebat, cum interim diceret: *Carrillus huic seruit massa carneæ quo optimo potest modo.* Cuidam ex eo nonnumquam sciscitanti, *Qui potest vestra Reuerentia tantillo cibo se sustentare, presertim cum plaga tantum saniei emittat?* respondit: *Homo ratione præditus minimè debet similis esse bestiae quæ ad satietatem comedit, sed solummodo debet tantum comedere, quantum vitæ ad Dei gloriam sustentandæ restrictè sufficit.* Mellanæ Ioannes Thomas Medici, cœnationis tum curator, in eius portionem aliquid iniecerat cinnamomi: petiit igitur ab eo, an in aliorum quoque portiones cinnamomum similiter immisisset; quo negante, iussit è vestigio, vt in huius delicti pœnam corpus flagello

lo diuerberaret. Graui vt plurimum siti ar-
debat, non modò ex causa tibiæ multum
humorem quotidie effundentis, sed etiam ex
causa hepatis nimio calore feruescentis: vn-
de per æstatem medio interdum die cogeba-
tur bibere. sed quid? tam timidè & tanto
disciplinæ respectu id faciebat (veritus ne id
alicui esset offensionis) vt sæpius dum sibi iu-
beret potum afferri, etiam omnibus, qui
ipsi aderant, mandaret offerri, & ad biben-
dum inuitaret: aut certè dolo bono seipsum
circumueniens, dum aquam aut vinum in
manu haberet, quasi ebibiturus, solum mo-
dò os proluebat; neque aliter bibebat offe-
rens ac libans (Dauidis instar, cum aqua esset
ad eum allata è cisterna Bethlehem) offe-
rens inquam, ac libans Domino graue illud
incendium ardoris, quod in lingua sitiente
sentiebat. Somni erat perbreuis, & tantæ
semper, seu in vestiendo seu in exuendo, ve-
recundiæ atque modestiæ, vt nullus vn-
quam eius partem aliquam corporis nudam
conspexerit. Ad eandem modestiam horta-
batur sæpenumerò suos Religiosos, satisque
acriter eos reprehendebat, quos vel in cubi-
culis vel foris non decenter vestitos aut dis-
cinctos, aut ad pectus diffibulatos offende-
bat: hortabaturque, vt cum soli essent in cu-
biculis, semper ibi præsentem Deum & An-
gelum

gelum suum custodem imaginarentur. Obseruabat strictissimè omnia sanctæ Ecclesiæ ieiunia : in quibus tam erat timidè anxius, vt frequenter domestico diffidens horologio, mitteret ad alia ciuitatis intuenda horologia, & explorandum an horæ sonuissent: præ timore nimirum, ne soluendi ieiunij tempus anticiparet. In sumenda autem per exigua refectione vespertina, tantam adhibebat sollicitudinẽ, ne quid nimis, vt statim atque assedisset mensæ, priusquam panem frangeret, eum manu iterùm atque iterùm ponderaret, timens ne ternas excederet vncias. De quo nonnumquam dubitans, iubebat bilance coram se ponderari, inuentoque iusto pondere, curabat actutum vnã detrahi buccellam. Quod quidem in domibus Religionis tolerabile censebatur, sed in itineribus non quibant hospites id satis æquo animo ferre: quippe arbitantes eam ponderandi voluntatem magis ab avaritia, quàm à scrupulo aut à puritate conscientiæ proficisci. Accidit aliquando in Genuæ montibus, dum ipse cum aliquibus è nostris veniret Mediolano, vt quædam hospita propter eandem causam non mediocriter in eum stomacharetur. Nam cum illa bilances alias non haberet, nisi è ligno satis rudes atque crassas, & ipsa item pondera è saxis crassa & rudia,

rudia, neque posset tres dictas uncias iustâ
 trutinâ ponderare; & Camillus instanter ni-
 hilominus vrgeret, vt iustum pondus exhi-
 beret, illa in impatientiam lapsa, & ex hac
 in iracundiam proficiens, abiectis pane & bi-
 lance & ponderibus, *Vosmetipsi*, inquit, *pon-
 derate, & mensuram iustam reperite, ego qui-
 dem in istis nihil intelligo.* Vnde ipse postea,
 vt ne rursus in tales conflictus incideret, cum
 domo peregrè discederet, panem secum de-
 ferebat scissum, & ad bilancem dimensum,
 maioris securitatis gratiâ. Fuit etiam, cum in
 die ieiunij vespere vnam oliuam in patina
 sua amplius reperiret, quàm esset in aliorum:
 non tulit ergo eam inæqualitatem, sed au-
 ctorem eius reprehensum ac benè multatum
 iussit eam oliuam confestim tollere. Aliàs pe-
 tens triremi Siciliam vnâ cum Fratre Ioanne
 Baptista Torres in die itidem ieiunij, rogatus
 fuit vesperi, & multis quidem precibus,
 à viris Nobilibus qui in puppi erant, vt ei
 placeret cum ipsis vespertinam ieiunij me-
 rendulam sumere: sed ipse, animaduerso to-
 tam mensam vario ciborum genere confer-
 tam esse, mox puppi exiit, atque in aliam
 triremis partem tenuissimum quidpiâ sum-
 pturus abiit, monito quoque socio hisce ver-
 bis: *Caue heus tu, ne te excacet demonium, ad
 istam te mensam applicando.* Eius porro ab-
 cessu

cessu isti omnes Domini, velut quadam
 monitoris voce correcti sunt, & factum æqui
 bonique consuluerunt. Denique vbi cum-
 que peccati etiam leuissimi periculum age-
 batur, non erat ei alia expediendi sui ratio,
 quàm ista, quam diximus, diligentiam subti-
 litateque adhibita: & hanc esse euadendi
 viam dicitabat, non solum scilicet peccatum
 quoduis deuitare, sed etiam omnem eius
 umbram atque discrimen declinare. Aliquan-
 do in Quadragesima, tamen triduo infe-
 disset eum febris, induci numquam potuit,
 ut à ieiunij rigore discederet: & aliàs etiam
 eodem Quadragesimæ tempore, propterea
 quòd cibi falsi multum ipsi essent noxij, ita
 valetudini obfuit, ut saltem octiduum à fe-
 bribus malè habitus sit: cumque nihilomi-
 nus auelli à ieiunio non posset, præsentientes
 Medici malum increfcere, nisi succurrerent,
 in peiusque abiturum, ipso Sabbato sancto
 coacti sunt imperare illi in virtute obedi-
 entia, ut iusculum quodpiam sumeret: tumque
 demum obediuit. De cetero ita corpus suum
 dure aspereque tractabat, ut diceret, nullum
 in mundo infestiorum illo sibi esse inimi-
 cum, solebatque illud vocitare *massam car-
 neam, fratrem asinum, saccum vermium*. Cum
 ad suos Religiosos exhortationem haberet
 super argumento libenter patiendi, & labo-

394 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
randi pro Dei amore, consueuerat vsurpare istud sancti Francisci dictum: *Tantum est bonum quod expecto, ut omne malum me delectet.* atque etiam illud: *Quàm tibi iucundum erit, Frater mi, videre te ali, quando in vna beatarum illarum cali sedium confidentem!* *Quid te nunc igitur laborum capit fastidium? Quidni iam modoo peri te impendis & superimpendis? Quidni hoc tuum corpus hodie in bonos vsus frangis, quod crastino fortassis saccus erit vermium?* Dein dicebat ad extremum: *Frater mi, non tibi narro fabulas, sed ea tibi dico, que hac ipsa nocte videre possis, si mors veniat.* Et quod eodem facit, quamuis ipse tot iam annis duriter se tractasset, nullisq; vquam laboribus pepercisset, in extremistamen vitæ suæ annis, cum vndique circumdatus esset infirmitatibus, dicere erat solitus: *Ego hætenus nihil feci, ego necdum Deo inseruire cæpi: precor Dominum, ut his diebus paucis qui mihi restant, hanc det gratiam, ut massam hanc carneam in pauperum seruitio vexem ac destruam. Sciunt multi Deo seruire cum gustu: sed totum in eo est, ut cum afflictione tam corporis quàm spiritus ei seruiatur.* Hoc etiam in more habuit dicere: *O quàm stricta ratio in ultimo illo transitu reddenda est, ubi de damno agitur tam immensæ gloriæ, & de*

tam

tam tremendo perpetua damnationis supplicio!
 Qua de causa non deberet homo, si quidem
 fieri posset, umquam somnum capere, sed con-
 tinuò ad Dei gloriam vigilare, laborare, erum-
 nas sustinere. Quosdam qui se fessos fractòs-
 ve laboribus ostentabant, vocare solitus erat
 milites aquæ dulcis, qui in scypho aquæ se
 perderent ac submergerent. Itaque alienum
 se monstrabat ab hominibus segnibus ac
 remissis, amicum verò & studiosum eorum,
 qui animo essent generoso, atque ad res ma-
 gnas & factu perdifficiles alacri & expedi-
 to; inter quos ipsemet reuerà principatum
 obtinebat. Obuius aliquando per domum
 factus est Firmo Caluo, suo antiquo bene-
 factori, quem salutans, *Bonus dies*, inquit,
Domine Firme, Deus te paradiso donet: &
huic respondenti, Faxit Deus, Pater mi, ex
sua misericordia; subiunxit idem Camil-
lus: Benè cogitare, benè loqui, & benè ope-
rari, hæc tria diuinâ intercurrente misericor-
diâ in cælum deducunt.

CAPVT XIV.

Patientia & modestia Camilli in suis itineribus, & Domini in multis eius periculis præsens auxilium.

EXhibuit semper Camillus præstantissima eximæ suæ patientiæ exempla, non modò in sufferendis cum alacritate & gratiarum actione illis quinque suarum infirmitatum generibus (quemadmodum alibi supra narrauimus) sed etiam tolerandis persæpè ob Dei amorem Officialium & aliorum Nosocomij ministrorum molestiis, speciatim cum ab iis petenda essent procurandaque infirmis necessaria: sed in his ac si milibus casibus stabat firmus & inconcussus, quasi turris, nihil responsans, nihil succensens, perinde ac si nihil ei dictum factumve esset. Cum ipsi aliquando sub mediam noctem corona Clericalis in capite aptaretur, propterea quòd ea hora rediisset è Nosocomio Rhedarum, Frater Ioannes Antonius de Mutio, qui lumen subministrabat, cum & ipse esset semisopitus, crassam candelam è cera in eius caput effudit, non paruo illi dolore inusto: ipse tamen ne minimùm commotus, nihil dixit fecitve aliud, nisi quòd eum simplicem appella-

pellarit, quamuis illapfa cera fic capiti adhæ-
 ferit, vt multis diebus auelli nequiverit. Aliàs
 accersitus idem Camillus à quodam homine
 rusticano infirmo, qui nescio quam necessi-
 tatem suam ei volebat exponere, numquam
 assequi mentem eius potuit, tametsi animum
 ad eius dicta satis diu attendisset; tum iste
 ira efferuescere, & quòd hic non intelligeret,
 verbis ferocire. Quibus nihil commotus
 Camillus, sed consueta vsus patientia, alios
 atque alios aduocauit, si quis fortè illorum
 sensa hominis rusticani caperet: quin & res
 multas coram eo proferri iussit, experiendi
 gratiâ, num fortè hac via ad desiderij eius
 coniecturam perueniret: tandem verò Dei
 nutu ac voluntate, quidnam is vellet, conie-
 cit. Itaque eius desiderio plenè fecit satis; &
 cum fecisset, veniam quoq; ab illo poposcit,
 quòd non citiùs ac promptiùs mentem eius
 percepisset. Cùm nonnumquam in itineri-
 bus offenderet, aut prolaberetur, tametsi
 grauis eum dolor tibiæ pungeret, nihil tamen
 umquam aliud, quàm *Deo gratias* dicebat, &
 sociis suis ac comitibus animos dabat, dicen-
 do nihil mali esse. Dictum ei sæpiùs Genuæ
 fuit à pluribus viris illustribus eius studiosis,
 vt à Iunio Spinola, à Ioanne Baptista Sixto,
 & aliis: *Pater, tui aliquantum miserearis, &
 habito plaga tua respectu, ne tot deinceps itine-*

398 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ra suscipias. Quorum vni ita quondam re-
spondit: *Domine Iuli, ego numquam mei ipsius
curam gesti, sed solius gloriæ Dei: ac licet mihi
per hac itinera moriendum foret in quapiam
via fossa, id ego in magni beneficij loco diuini-
tus concessi ducerem.* In iis porro itineribus
quæ terrâ faciebat (quæ plurima fuerunt, &
absque vlllo vel sereni vel turbidi, tristilve
temporis respectu) cum vesperi in diuerso-
rium intraret, videbantur in idem simul di-
uersorium conuenire silentium, pietas, mo-
destia, & totus virtutum chorus: ita vt pro-
priè viderentur diuersoria esse in oratoria
commutata; quandoquidem cubiculo sta-
tim assignari iusso, ipse & sui comites ad reci-
tandum Officium, ad legendas Litanias, ad
examinandam conscientiam, non secùs ac si
domi suæ essent, sollicitos gerebant animos.
Ad mensam quoque vt non minùs mentes
reficerent quàm corpora, sæpè aliquam le-
ctionem spiritualem è libris F. Ludoui-
ci Granatensis adhibebat: quem Aucto-
rem in paucis charum habebat, & cuius *Du-
cem peccatorum* ferè semper circumferebat:
sin lectionis deesset opportunitas, id obser-
uatione silentij & custodia oculorum com-
pensabat, quibus minimè habenas laxabat
ad circumspectiendos diuersoriorum parietes,
in quibus plerumque falsa & lasciuia dicta, &
alix

aliæ res fœdæ cernuntur, quæ à prætereunti-
 bus viatoribus depingi solent; à quibus sic
 abhorrebat, vt nec oculos attolleret: si quan-
 do autem aduerteret in quopiam diuersorio
 affixas parietibus Sanctorum imagines, ipse
 cum istorsum iter faceret, semper eò diuer-
 tebat: quamuis ibi & lecti peiores, & alia
 omnia quàm alibi essent deteriora: immò
 interdum & ipsa itinera longissimè proten-
 debat, ne alibi esset pernoctandum. Quin &
 Parentes Litteras participationis meritorum
 cuidam hospiti Sarauallensi aliquando lar-
 gitus est, eo tantum nomine, quòd solus ille
 imagines Sanctorum in diuersorij sui cubi-
 culis collocasset. Semper inferiora ac dete-
 riora sibi eligebat, comiti autem suo melio-
 ra & commodiora relinquebat. Quare si per
 locorum incommoditatem vnus dumtaxat
 haberi lectus posset, ipse sacco stramentitio
 humi proiecto incubabat, socio mandans vt
 in lecto plumeo aut non incommoda culci-
 tra quietem caperet. Cum per ciuitatem ali-
 quam transfiret, vbi aliàs non fuisset, è vesti-
 gio nec depositis quidem calcaribus, inuisum
 ibat Nosocomia, & cum infirmis ad eorum
 solatia nonnihil breuiter collocutum. Dum
 verò iter rheda capefferet, aut cum aliquo
 equitatu, semper vel de Deo rebusque diuinis
 miscebat sermones, vel spiritum in silentio
 con-

continebat: neque metuendum erat, ne, vbi ipse esset, aliis de rebus colloquia sererentur: cum ipsa eius præsentia timorem hominibus ingeneraret ac deuotionem. Iter aliquando agens per Longobardiam vnà cum Patre Cæsare Bonino, in eius rhedam intulit se Iudæus quidam solita nota non insignitus, hūc per viam animaduertit Camillus retorquere interdum oculos, quasi refugientem intueri Crucifixum, quem ipse collo alligatum gestabat: vnde exploratum postea habens eum esse Iudæum, tantoperè est commotus, vt iniecto ob illius oculos Crucifixo, vi ageret vt illum intueretur. Sed eo respiciente exsurgens Camillus, ipsum perurgere institit, vt iamiam è rheda desiliret; verum aliis deprecantibus, eiusque impetum remorantibus, tandem acquiescens dixit Iudæo: *Homo perfide & obstinate, tūne tantā es audaciā, vt inspicere sanctissimum Crucifixum nolis? nisi me timor Dei retineret, iamiam te in mediam hanc viam precipitarem.* Denique tantus miseri illius Hebræi pauor fuit, vt diutiùs non valens succensum Camilli vultum sufferre, coactus fuerit paullò postea vltro è rheda desilire. Non ita quidam alius Iudæus fecit, qui & ipse signo carens, eadem cum Camillo conscensâ nauì Bononiā petebat Ferrariam. Hic enim siue Camilli metu, siue quouis alterius

respe-

respectu, totum diem loquenti de rebus sa-
 cris Camillo aures præbuit; immò vesperi ad
 signum *Aue Maria* nobiscum simul genua
 flexit, & figuram Crucis sibi impressit, non
 secus atque alij omnes Christiani eodem na-
 vigio vecti. Quod postea valdè admiratus
 est Camillus, cum Malalbergi eum esse Iu-
 dæum inaudir. Porro aliorum quorumuis
 infidelium haud adeò abhorreere consortium
 videbatur: sed cum nominari audiret hære-
 ticos, tum ita se habebat, ac si diabolica au-
 dired nomina: quorum hæreticorum puto-
 rem vel è longinquo credebatur præsentire.
 Certè reuertens nonnumquam Mediolano
 Romam, in Nobilium quorundam equitatu
 per viam quidem cum omnibus promiscuè
 colloquebatur & conuersabatur, præter-
 quam cum vno, quicum nec loqui vquam
 sustinuit, nec versari, quòd diceret eum pu-
 tere quiddam hæreticum, sicque reuera erat:
 siquidem Romæ postea ei significatum est,
 istum tunc ea de causa clandestinò Romam
 traductum fuisse, in manus sancti Officij tra-
 dendum. Quod mihi à Domino Matthæo
 Morensano Casalensi, qui in eodem erat
 equitatu, est enarratum. Ex visu quoque ip-
 so videbatur personas agnoscere, cuius essent
 facinoris rei: nempe cum suis in exhortatio-
 nibus ea diceret, è quibus multi persuasum
 Cc habe-

402 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
habent, perspectam illi esse vniuscuiusque
conscientiam: adeò vt nonnulli ex ipsius Re-
ligiosis hoc metu perculsi, occultissimis se per
Confessionem laqueis extricarent, nimirum
veriti, coram illo cum aliqua macula aut pec-
cati næuo aut scrupulo comparere. Verum-
enimuerò de singulari illa cura, qua semper
Deus in tot itineribus præstò illi adfuit, quid
dignum memorari, aut quæ par diuinis in
eum beneficiis afferri possit oratio? Anno
quidem Domini millesimo quingentesimo
octogesimo nono, proficiscente illo Româ
Neapolim simul cum Patre Paulo Cornet-
ta, & Ioanne Luca Crescentio, & conscensa
Caietæ phaselo Neapolitana, cum non pos-
set Pater Paullus præ graui infirmitate, quæ
per viam illi superuenerat, amplius equitare,
vesperi ad os Clanij fluminis vnà cum altera
phaselo ipsorum socia hospitati sunt. Sed illa
vix aurora primùm dilucescente cœpit vrge-
re abitum; nauarchus verò Camilli, velut à
Deo inspiratus, contra morem aliorum om-
nium nautarum, & contra ipsius quoque Ca-
milli voluntatē, qui tum libenter discessisset,
respondit, nolle se inde priùs soluere, quàm
satis cognosset mare à Turcis securum esse:
in quo ita rigidè perstitit, vt omnes alij nautæ
& vniuersi vectores dimouere illum de sen-
tentia nequiterint. Quo indignatus alter na-

uar-

uachus soluit, abcessitq; solus, sed medium
 milliare non confecerat, cum in sua temeri-
 tatis poenam in manus incidit Turcarum,
 captiuusq; vna cum cunctis nautis & vecto-
 ribus in seruitutem abductus est. Obstupuit
 Camillus tantam Dei erga se benignitatem,
 solitusque est deinceps id beneficium, tam-
 quam vnum ex omnibus quae a diuina per-
 cepisset manu, praecipuum ac singulare ma-
 ximi aestimare. Alias vna cum aliquot e suis
 Nouitiis, & cum duobus Patribus Theolo-
 gis ex Ordine sancti Dominici Bononia con-
 tendebat Ferrariam, ingruente autem illis
 per viam nocte, & tata in eos irruente pluuia
 quantam antehac maiorem nullus illorum me-
 minerat, ad casam quamdam vicinam defle-
 runt, precantur eam sibi aperiri: verum is
 qui intus erat rusticus tam se inurbanum fe-
 rocemque exhibuit, vt nec aperire nec susci-
 pere eos voluerit. Tantas igitur inter angu-
 stias constitutos, ecce iuuenis quidam gratio-
 sissimus, qui eius villae erat Procurator, illos
 adit, cernensque tot Religiosos adeo male
 habitos stare pluuiae expositos, & rustici il-
 lius intelligens immitem animum, statim to-
 tam aperit dilatataque portam, & introduci
 rhedam mandat, tamque luculento excipit
 foco, tam bona reficit mensa, de tam com-
 modo decubitu prospicit, vt diu steterint at-
 toniti,

404 VITÆ P. CAMILLI DE IELLIS
toniti, ambigentes homōne hīc esset, an An-
gelus. Manē autem multis de tali hospita-
litate actis gratis inde digressi, ad pontem
quemdam ligneum peruenerunt, quem
transitura cūm esset rheda, resistere iussit
Camillus rhedarium, se enim velle excen-
dere, quandoquidem aliquid videretur esse
periculi: quod intelligentes Patres sancti Do-
minici, ad moram euitandam eum precati
sunt, ne excenderet, nihil enim esse pericu-
li: sed Camillus respondens nolle se tentare
Deum, prorsus excendere voluit, excendit-
que: tum transire rheda pontem cœpit, &
ecce vna rota è sublicis exorbitauit, cum
præsenti periculo cunctos effundendi in pro-
fundum aquarum præcipitium: sed Camil-
lus, qui retrò sequebatur, & totum discrimen
aduertebat, sublata exclamans voce rheda-
rium admonuit, vt resisteret: qui Dei boni-
tate equis inhibitis cūm restitisset, & cuncti
magnitudinem periculi animaduertissent,
excensione in terram facta omnes seruari
sunt. Tum Patres Dominicani non posse
fatiari agendis Deo Opt. Max. gratis, ac se-
cundūm Deum etiam Camillo, quem ma-
gnūm Dei seruum prædicabant. Rogatus
aliquando idem Camillus, quoties ipse per
itinera cecidisset, respondit: *De casibus ordi-
narijs & non periculosjs ij tot fuere, vt numeri*

non

non recorder; sed graues & ad mortem periculosi fuere minimum triginta, in quibus semper mihi ulcerosa tibia sub equi lapsu fuit: ex qua diuina super me manus clarè emicuit, quando quidem ea tibia nihil inde umquam lesa est. Eidem quondam reuertenti à sancta Æde Lauretana cum Curtio Lodi, & per Spoletum transeunti contigit, vt in media ciuitate decideret, ac tum quidem tantus in tibia dolor extitit, vt nequiuertit amplius equitare, coactusque fuerit clitellas sumere, in quibus Narniam vsque ambo vecti sunt, in vna ipse, in altera Curtius. Ibi autem inuentâ lecticâ, in ea Romam sunt deportati. In hoc verò diuina mirè eluxit prouidentia, quòd ne vnum quidem in ea ciuitate Spoletana cognitum habens, nihilominus illo decidente accurrerit ex officina sua vir quidam, Ignatius Cappellarius nomine, qui & ipsum releuauit, & domo sua exceptum mira humanitate tractauit: quin vbi è Curtio intellexit, Camillum hunc fundatorem esse nostræ Religionis, tam benignè erga eum affectus est, vt quotiescumq; nostri Spoletum deinceps transirent, omnes amicè hospitio exciperet, sumptusque gratis suppeditaret. Alias sub Aquapendente apud flumen Peliam decedit illi equus in tibiã ulcerosã, è qua proinde tantum profluxit cruoris, vt totam

implerit ocream, & totâ viâ stillauerit. Aliàs Bocchianico tendens Neapolim cum vicinus esset Castello Sanguinis, & per quamdam glaciem transfiret, prolapsus similiter caballus sic in eandem incubuit tibiam, tantumque procreauit dolorem, ut quadraginta ipsos dies inepta fuerit incessui: & quod in eo prolapsu non adesset illi socius (is enim præterierat) sed tantum Canonicus quidam Lateranensis Concionator cum suo famulo, hi duo soli magna charitate eum subleuarunt recrearuntque: nocte deinde præcipitante viam ignorantibus, quod tota esset saxosa, munus fuit diuinæ prouidentiae, quod iuuenem pauperculum & pedibus nudum inuenerint, à quo Camillus promisso pari calceorum impetrauit, ut ipsis dux esset itineris. Hic ergo illis præiuit, & viâ illâ pessimâ liberauit, in qua sanè præ frigore emori ea nocte periclitati essent, præsertim Camillus, utpote grauiissimo vulneris sui dolore confixus. Aseueravit postea idem Pater, istum iuuentudum sibi velut Angelum de cælo visum esse: siquidem dum ipse habenas equi manuteneret, vidit sæpius ea nocte Camillus capitis eius capillos instar filorum aureorum rutilantes. Aliàs rursus itidem Bocchianico, sed Romam versus, cum Fran-

cisco

cisco Spinosa iter agens, cū ad mediū montem Carusum (qui locus est supra modum periculosus, ob ingentes ventorum ibi confligentium furias) peruenisset, ecce derepente tanta ventorum tempestas in eos irruere, vt parum abfuerit, quin ibi Camillus vitam reliquerit: quippe, vt ipse narravit, iam intus arctari se & opprimi, corque occupari sentiebat. Quo in discrimine ignarus quid ageret, ad Dominum Deum se conuertit, eiusque ope implorata ex equo se demisit, totumque illum periculosum tractum manibus per terram reptans peruasit, eoque modo se tam grandi periculo eripuit. Bocchianici prætereā exeunti quodam manē è vestiario cum calice ad celebrandum sacrum Mysterium, dum Clericus pulsare campanam pro more aggreditur, ea proximē ipsius Camilli pedes cum periculo eum opprimendi delapsa est. In eodem quoque loco inhabitantibus nostris quamdam domum antiquam, quod noua fabrica necdum esset exædificata, volebat huiusce domus Præfectus ad tempus aliquod culinam & cœnationem in quadam ampliore aula exstruere: sed Camillus, velut diuino actus instinctu, admonuit, ne id faceret: Superiore autem, in sua persistente sententia, dixit Camil-

408 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
millus: *Ego non sum Superior, nec mihi ius
est imperandi: sed hoc dico, ne facias.* Ob-
secutus est Pater, & postridie apparuit
quàm Camillus diuino afflatus spiritu fue-
rit: siquidem aula illa cum nostro omnium
stupore improvise corruit. In eadem do-
mo inter alias fenestras vna erat, supra
quam cernebatur vnus arcus lateritius à
muro disiungi: sed quoniam arcus ille an-
nos minimum octodecim immotus & in-
concussus steterat, nostri nihil amplius
metuentes, plerumque subibant ad legen-
das inibi Horas Canonicas. Quodam igi-
tur die, cum ibi bene longo spatio fuisset
Camillus, tandem motu diuinæ providen-
tiæ abscessit: & ecce vix inde vestigium mo-
uerat, cum totus ille arcus derepente con-
cidit, qui proculdubio eum oppressisset, si
subtus deprehendisset. Verum Deus Opti-
mus Maximus ex omnibus semper pericu-
lis, & ex omni diaboli astu pro sua infinita
bonitate ac misericordia eum eripuit ac
protexit.

CAPVT XV.

*Camillus obseruationis Regularum studio-
sissimus, & hominum otiosorum, men-
dacium, murmuratorum & blasphe-
matorum inimicissimus.*

CLaruit semper in Camillo studium ob-
seruationis Regularum, si in quoquam
alio, longè ardentissimum: seque ipse tam
in factis quàm in dictis earum obseruanda-
rum ducem & exemplum præbuit: neque
vllò vñquam prætextu vel tantillum ab illa-
rum obseruatione se subduxit, ne in re qui-
dem vnica se excipiens, neque admissum ad-
uersus eas delictum impunè abire permit-
tens. Cùm aliquando Fratres quidam exi-
guum nescio quid in Nosocomio S. Spiritus
absque facultate comedissent, decem ex illis
à Congregatione dimisit. In tantum enim
istius quamlibet leuis delicti sensu permotus
fuit, vt instar quodammodò alterius Moyfis
(qui tabulas legis diffregit) omni domo con-
gregata, iussitque legi communibus Regulis, ac
deinde sumpto in manus earum libro, valideque
percusso exclamarit: *Eccui vsui? ecce vsui ista
Regula, si non obseruantur?* Quo facto man-
dauit,

Cc 5

dauit,

410 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
dauit, vt qui in eas deliquerant, foras mitte-
rétur. Aliàs item optimum quemdam Theo-
logum Vallisoletanum, Ioannem Manri-
ques nomine, cū aliis quatuor aut quinque,
quòd solū locuti essent de nescio qua re-
formatione in Religionem introducenda, à
Religione dimisit: vt & aliàs nonnullos alios,
licet optimos alioqui subditos, quòd absque
venia cum extraneis sermones miscuissent,
aut litteras sine facultate recepissent, aut se
inter iocandum inuicem tetigissent. Sæpè ad
culinam, ad cœnationem, ad lauacrum im-
prouisò ibat, vbi si quem reperiret rumpen-
tem silentij legem, statim pœnitentiam in-
iungebat: vnde & à coquis in culina vna ma-
nu focus accendebatur, altera Rosarium re-
citabatur; & ab alijs itidem alibi semper aut
hymnus aliquis aut lectio quæpiam spiritua-
lis audiebatur. Cū animaduertisset ali-
quando quemdam Fratrem à prandio, cū
gratiæ agerentur, non inclinare caput ad ver-
ficulum *Gloria Patri*, ipse, vt eum deinceps
illius memorem redderet, mandauit, vt mul-
tis diebus crassum ligni segmen collo gesta-
ret alligatum. Dicere solebat, cū aliqua
in domo non floreret obseruatio Regula-
rum, non alios quàm Superiores esse casti-
gãdos, vt qui totius mali auctores essent. Ad-
debat quoque, Superiores, præter continuam
vigi-

vigilantiam, habere semper debere mel in ore, nouaculam in manu. Propter hunc igitur tam seuerum obseruationis rigorem, videbatur quibusdam esse naturæ rigidæ ac nimis seueræ: ita vt multi (quibus incognita erat eius bonitas) pro homine agresti & aspero illum haberent: & speciatim quidam creditores, qui ad sollicitandam debitorum solutionem ad eum ventitabant: quibus post debitas paupertatis ac penuriæ suæ excusationes, cum videret ipsos non acquiescere, dicere solitus erat: *Fratres mei, fieri ne potest, ut à muro isto nummi exprimantur? Tam est igitur possibile vos à me in presenti aliquid nummorum exsugere: Deum exorate, ut nobis mittat.* Verum, licet homo esset in sermonibus asperior, erat nihilominus iis, qui se submittebant, erroremque suum agnoscebant, longè benignissimus. Nec minùs erat admirabilis in solatio hominibus tentatis adhibendo: à quibus, vel imposta dumtaxat capiti manu, omnem tentationis ac tepiditatis nebulam abigebat. Iam autem in consuetudine familiari erat admodum alacris, iucundus, amabilis, eosque multùm dilaudabat, qui alacritatem in Dei seruitio præferabant. Sed quid? ea iucunditas familiaritasque cum tanta erat coniuncta grauitate, vt in vno eodemque momento & amaretur à cunctis,

cunctis, & timeretur ab omnibus: neque propterea ausus fuisset quisquam vel minimum officij sui limites transilire, vel plus quam oporteret libertatis arrogare. Cupiebat autem speciatim nostros in ordinariis recreationibus tantam præstare modestiam obseruationemque disciplinæ, ut nec tantillum de sancto rigore, quem domi tenebant, remitterent. Ad eum aliquando delatum est, vnum è Fratibus confecto fistulari calamo per vineam canendo obambulasse; quo audito sic exacerbatus fuit, ut tota illi recreatio in amaritiam versa fuerit, dixeritque idemidem, ingeminaritque hæc verba: *Trado illum Deo, trado illum Deo. Quinam fieri potest, ut vnus minister infirmorum per vineam incedat inflans calamos!* Illo igitur accito, nudarique iussu, imperauit ut coram omnibus peracri disciplinæ supplicio delictum istud lueret. Ad studiosos porrò artium liberalium quod attinet, eos studiis ita volebat intendere, ut non idcirco charitatis sinerent officia refrigescere: neque huius dumtaxat se quam cupidissimum atque ardētissimum ostendebat amatorem, sed nec patiebat, ut studiosi ex occasione studiorum aliquam caperent occasionem seu distractionis seu negligentia in profectu virtutum. Vnde non rarò in scholam ingrediebatur inopinatò, & si

si quem absque debita stantem sedentemve modestia reperiret, asperrima reprehensione castigabat, usurpatis nonnumquam verbis illis, quæ vnus è socijs S. Francisci usurpasse primus fertur: *Parisijs, Parisijs, vos mihi destruitis studium Assisijs*. Ita nimirum & scientiam cum charitate, & speculationem cum deuotione copulabat. Numquam illum vidisses otiosum, sed semper aliquo in negotio ad Dei gloriam vel utilitatem proximi occupatum: & rogatus post abdicacionem summi in Religione Magistratus, quoniam modo diem diuideret, respondit: *Mihi quidem dies unicum videtur momentum: & sic diuido, in Orationem, in Officium, in Sacrificium, in pauperes, in lectionem spiritualem, qui verus est animæ cibus*. Propterea seuerè eos arguebat, increpabatque qui per domum irent vagabundi, aut absque negotio per ciuitatem. Mirè oderat mendacium, & homines mendaces, oblocutores; murmuratores, detractores; vti è contrario famæ alienæ amator erat studiosissimus & conseruator: nec fieri poterat, vt patienter taciteve sustineret, etsi quem seu in paruo seu in magno lædentem alterius bonam famam existimationemve audiret. Quare vel continuò reprehendebat, vel intentionem excusabat, vel aliam in partem deflectebat. Cùm aliquando

do

do vnum è nostris audisset dicentem, nescio
 quot gallinas è quadam nostra villa subre-
 ptas esse: ipse, tametsi hic nesciret, neque no-
 minasset à quo subreptæ essent, conuerso
 cum amaritudine quadam vultu, *Quid? sub-
 reptæ?* inquit, *quid? subreptæ?* *Necesse est pau-
 perem illum hominem eguisse, atque ita neces-
 sitate compulsus eas sustulit, non autem subvi-
 puit.* Erat quoque inimicus hominum ad iu-
 ramenta & blasphemias proictorum: nec
 impetrare à se poterat, quin vel in locis pu-
 blicis eos reprehenderet. Transiens aliquan-
 do per vicum, quemdam audiuisse sibi visus
 est vnum aliquem blasphemasse; sed quòd se
 arbitraretur non benè intellexisse, vltra per-
 rexit: exorto deinde scrupulosocium percon-
 tatus est, an id, quod ille dixerat, fuisset blas-
 phemia? & respondente illo, fuisse; mox re-
 trorsum se conuertens (& triginta passus iam
 distabat, eoque ampliùs) sublata voce ex-
 clamauit: *O Frater, ò Frater, ne blasphemem:
 nam ira Dei in te superueniet.* Admirati sunt
 autem omnes, & ad meliora incitati, quot-
 quot eum hæc clamantem audiuerant. Aliàs
 in vrbe Roma rhedam offendens viris No-
 bilibus grauem, percepit vnum ex eis inci-
 pientem euomere blasphemiam: tum ille im-
 mittens illicò manum in rhedam, perinde ac
 si os vellet obturare blasphemantis, alta ac
 terri-

terribili voce, *Siste*, inquit, *siste Frater*, *noli blasphemare*: & cunctos, qui in eadem rheda erant, conterruit.

CAPVT XVI.

Camilli erga alios Religiosos & benefactores studium & beneuolentia: atque aliorum item erga illum amor.

ALiorum quorumcumque Ordinum Religiosos magnoperè diligebat Camillus, & reuerbatur, tamquam operarios scilicet ac cultores sanctæ illius vineæ, quæ est Dei Ecclesia. Speciatim autem amabat Patres Capuccinos, ob multa beneficia quæ ab eis Manfredoniæ receperat, & quia ipsius ad Deum conuersionem plurimum adiuuerant. Idcirco si aliquos ex illis antiquis familiaribus suis nosset esse superstites, crebrò eos inuisebat, atque etiam domum nostram non raro inuitabat. Ita Romæ, prima facta professione, quatuor ex iis inuitauit, inter quos vnus fuit Frater Iosephus Melitensis, qui cum magna illa amicitia Manfredoniæ intercesserat: hunc remota mensa precatus est, vt dignaretur publicè coram omnibus Religiosis omnem seriem conuersionis eius ad Deum recensere, vnà cum cunctis noxis, quas

quas in ipso, dum simul cum illis Manfredonia habitabat, obseruasset. Verum quoniam is Pater in ea narratione modestius ac consideratius procedebat, cœpit ipsemet Camillus ex studio humilitatis omnem vitam suam, velut publica quadam generali confessione, palàm retexere. Magna item beneuolentia complectebatur Patres sancti Domini: in cuius signum profectis aliquando ad nostrum Nouitiatum Neapolitanum multis ipsorum Nouitijs, visus est ipse tot intueri Angelos albis vestitos: voluitque omnino ut isti iuuenes simul cum nostris Nouitijs sese recrearent, simulque fructus ederent: quibus etiam sua ipse manu gaudebat ministrare. Rogatus ad extremum ab ipsorum Magistro, ut etiam aliqua salutis verba illis dignaretur erogare, suauissimam ad eos habuit exhortationem, sumptis pro argumento istis verbis, *Habitus non facit Monachum.* Scopus autem sermonis fuit, ipsos ad cordis puritatem atque ad generosam in Religione perseverantiam omnibus exsuperatis difficultatibus animare. Quod cum magna illorum voluptate peregisset, ipsi omnes porrecto manus osculo, acceptaque discedendi copia recesserunt. Singulari quoque amore Patres Societatis IESV prosequabatur, ac nominatim Patrem Octavianum Cappellum, cuius

cuius viuam semper retinuit fouitque memoriam. Fuerat eo vsus à Confessionibus in ipso foundationis principio. Sed dici non potest, quanta in beatum Philippum Nerium suum antiquum Patrem spiritualem studio atque affectu ferretur, cuius sanctæ memoriæ se summopere obligatum, vti & cunctis eiusdem Congregationis Patribus, agnoscebat. Hominibus porrò benè de sua Religione meritis nonnulla sanctæ deuotionis munuscula exhibebat: eosque nonnumquam inuitabat, & cum omni sancta modestia & liberalitate Religiosa tractabat. Quod officium charitatis ita ipsis gratum acceptumque erat, vt etiam viri primates magnique nominis, & inter eos vnus S. Ecclesiæ Cardinalis non dedignatus sit ad mensam eius accedere, vnaque cum illo in cœnatione cibum sumere. Fuitis Cardinalis Sordinus à Ciappella. Iam verò vice versa non paucis Primatibus & Illustriissimis viris ad suam mēsam illum adhibere, & eius sancta frui simplicitate, pro magna voluptate fuit. E quorum numero fuerunt, & quidem sæpius, Cardinalis Baronius & Taruggius, qui illum amore præcipuo diligebant. Cardinalis item Mondouus tanto eum studio honoreque colebat ac venerabatur, vt quotiescumque domum nostram adueniret, inter amplexandum, frontem eius

aut mediam capitis coronam oscularetur. Alij quoque complures, cùm per ciuitatem, aut per Nosocomium incederet, illi nec scienti nec sentienti vestes occultè dissuauabantur. Comes Fontanus, Gubernator Mediolanensis, cùm intellexisset huius Religionis Fundatorem olim militem fuisse, & nunc esse superstitem, adeoque agere Mediolani, misit aliquem, qui indicaret ipsum crastina die manè venturum ad eius colloquium: sed Camillus minimè id patiens, eum præuenit. Eo igitur conspecto valdè gauisus est Comes, eiusque sermonibus aperto semper capite auditis vehementer est delectatus. Sed similibus fauorum exempla sexcenta afferri possent: quæ cùm non magni pendam, facillè præteredò. Cùm in rebus dubiis petendum aliunde ipsi esset consilium, ad dictos Religiosos amicos suos plerumque adibat, sapiusque suæ diffidens memoriæ, socio commendabat, vt diligenter auscultaret, aut etiam scriberet quid responsi datum esset. Quin nec eo contentus, frequenter id agebat, vt idem socius subscriberet, nempe in testimonium eius quod responsum aut suum fuisset. Sic etiam agebat, si quando recordabatur se obligatū esse ad aliquid agendum in proximi vtilitatem: tum enim, veritus ne obliuisceretur, id in charta scribebat,

vt se

ut se prima quaque opportunitate debito ex-
 oneraret. Hinc in schedulis quibusdam eius
 manuscriptis repertæ sunt nonnullæ rerum
 istiusmodi notationes, quarum vna sic ha-
 bebat: *Ad diem vigesimam quartam Octobris,*
feriâ quintâ, horâ vigesimâ primâ profiteor me
iturum ad me aperiendum Notario sanctissimæ
Trinitatis conualescentium, eique dicturum
quidquid Deus à me requirit, & me exonera-
turum conscientiam meam, hoc est, ut ego sim
liber à non incurrenda pœna excommunicatio-
nis. Et hæc est mea voluntas. Deo gratias.
 Cùm igitur in suis negotiis tam expedite pro-
 cederet, obstupescerebat, quâ fieret, ut tot in
 mundo essent lites, neque eæ statim expedi-
 rentur: nec capere poterat, quinam id fieret,
 ut tam longi litibus concederentur termini
 & prolongationes. Loquens autem de supra
 dictis conualescentibus, qui è Nosocomio
 emittebantur, ferre non poterat, quòd in
 singulis ciuitatibus non essent loca peculia-
 ria ijs percurandis & corroborandis depu-
 tata: non in quibus biduo triduoque consiste-
 rent (vti fit Romæ in Trinitatis) sed quin-
 decim aut viginti diebus, si tot diebus opus
 foret. Dicebat enim affirmabatque, pluri-
 mos pauperes eius loci rei que penuriâ præ-
 maturè intermori: quippe dum è Nosoco-
 mijs exeunt languidi ac debiles, nec habent

420 VITÆ P. CAMILLI DE IELLIS
in primis illis diebus necessaria vitæ victusque
commoda, statim in eandem, si non in de-
tiorē, infirmitatem relabuntur: qui dein-
de ad Nosocomia denuò redeuntē, ad ex-
tremum confecti consumptique propè om-
nes intereunt. Quapropter desiderabat, &
sæpius Medicis suadebat, vt solutos à febrī
saltem tam diu in Nosocomijs retinerent,
donec possent iam egressi statim lignem in
manus sumere, & laborando victum si-
bi quærere.

C A P V T X V I I .

*Punitio quibusdam Nouitijs ad seculum
reuertentibus à Camillo denuntiata.*

F Vit Camillus valdè facilis ad Nouitios
in Religionem admittendos, neque v-
num ferè de quàm plurimis se offerentibus
repulit. Quod vt faceret, ardens in eo cha-
ritas ac desiderium viæ cunctis ad salutem
patefaciendæ impellebat. Arbitrabatur e-
nim, si se offerentes non reciperet, reddendā
sibi illorum esse in Dei iudicio ratio-
nem. Vnde permultos recepit, quos postea
deprehendit futurum meliùs fuisse si non re-
cepisset. In hoc tamen Nouitiorum negotio
duas res in se habuit insignes & singulares.
Vnam

Vnam quidem, quod ad primum eius allo-
 quium, aut ad manus capiti cuiuspiam im-
 positionem, repente eum subiret voluntas
 Religionis ingrediendæ, ita vt multi velut ab
 eo incantati peterent in Ordinem recipi:
 quomodo plurimos vnica probatos colloca-
 tione in Ordinem admisit. Quæ res tam
 nota vulgò fuit, tamque passim explorata, vt
 multi iuvenes, præsertim Neapoli, eius oc-
 cursum vel eo solùm nomine deuitarent,
 quod vererentur, ne ipsis manum capiti im-
 poneret, faceretque vt inuitis ac nolentibus
 noua & minimè grata Religionis amplecten-
 dæ voluntas adueniret. Cùm verò aliquis
 iam admissorum retrò respiceret, dici nõ po-
 test quanto percelleretur mœrore, & quanta
 vt discessum dissuaderet diligentia vteretur:
 verùm si in prauo persisterent proposito ob-
 stinati, ipse illos minis suis terrefaciens, im-
 minentem ipsis Dei punitionem denuntiabat.
 Atque hæc fuit res altera in eo admirabilis
 atque singularis. Quippe ipsi experimento
 didicimus, multis ea euenisse quæ ipsis fue-
 rant ab eo prænuntiata. Non repetam hîc
 Francisci illius exemplum, quod Neapoli ac-
 cidit, exemplum tam euidens & tam stupen-
 dum, de quo capite vigesimo secundo Libri
 primi suprâ diximus: pauca dumtaxat alia in
 præsens commemorabo, & paucis. Romæ

in ipsis Congregationis nostræ principis, certus Frater Hieronymus nomine, officio coquus, postquam Dominica quadam sacre particeps Communionis fuisset, statim actis gratiis ad triclinium se contulit, ientaculi sumendi gratiâ : de quo grauer eum reprehendens Camillus, indignum esse dixit seruatorum Dei societate Religiosum illum, qui nesciret huiusmodi gulæ appetitum refrenare : simulque nescio quam ei iniunxit exiguam pœnitentiam : sed ille recalcitrans, eamque reiiciens, vestes reposcit, vt ad saculum redeat. Cui Camillus, post multas admonitiones, & tenendæ perseuerantiæ adhortationes, vt durum & inuictum in malo vidit, prædixit inter alia, citò futurum vt pœniteret, quandoquidem à Dei seruitio turpiter & sine causa descisceret : proinde sibi quid facto esset opus attenderet, neu sineret se à diabolo decipi, quoniam is solitus esset homines laqueo serico suspendere. Quo dicto foras eum amandauit. In hoc porro magnum paruit Dei iudicium, quòd è Congregatione egressus, ad hominem se contulerit adulterinæ monetæ cuforem. Nam illo in carcerem coniecto, simul cum omnibus qui in domo eius erant, inter eos etiam hic Hieronymus abductus fuit, tametsi verè innocens, & talis delicti omnino nescius: sed non
 ideò

idèò expers tormètorum. Vnà enim cum aliis omnibus quæstioni est subiectus. Atq; herus quidem illius in Ponte suspensus pœnas luit; hic autem miser Hieronymus, qui paucis antè diebus Congregationem reliquerat, virgis cœsus fuit, ac deinde nudus sub heri sui pedibus alligatus, vinctis ad furcam manibus stetit. Quo in statu à multis nostrorum, qui à Nosocomio redibant, non sine magna miseratione conspectus fuit. Alius quidam iuuenis, Iosephus nomine, habitum Romæ deseruit: hunc monuerat Camillus, ne abcederet, neu Deum irritaret: malum enim ipsi obuenturum: sed nec audire is voluit rectè monentem, nec obedire, sed Neapolim in patriam suam reuerti maluit. Quamdiu autem ibi fuit? nempe diebus tantum quindecim, & cultro mactatus est, ac sine Confessione aliòve Sacramento in extremis saluari periit. Nouitius item quidam Messanensis, cui nomen erat Placidus, accepto Messanæ habitu nostro, à patre suo (qui se absque illo vitam ducere non posse clamitabat) ad egressum & defectionem adèò sollicitatus fuit, vt Religionem ad extremum deseruierit. In quo sanè luce clariùs emicuit iustum Dei iudicium. Nam biduo postquam discessisset Placidus, Placidi pater vitâ excessit. Idem Placidus postea Messanæ denuò

424 VITÆ P. CAMILLI DE IELLIS
receptus à Camillo est, sed dum Neapolim
ad Nouitiatum mittendus esset, quidam eius
frater homo arrogans, & habitum Clerici
gestans, subornatione matris, tantos tumultus
atque iurgia illius educendi causâ excitauit,
vt totam illam domum conturbarit. Ad
quem proinde conuersus Camillus, minimè
defuturam ei dixit Dei punitionem, nec ipsum
sine bono fruiturum, quandoquidem
tantas edidisset turbas, vt animam vnã à
Dei seruitio auerteret. Quod ad amissim
ita euenit: siquidem anno vno necdum elapso
interemptus est. Postmodum autem ille
Nouitius Neapolim profectus aliquamdiu
perseuerauit: sed ei rursus retrò ad sæculum
respicienti prædixit itidem Camillus, etiam
ipsum intra non longum spatium diuinæ
ultionis experturum dexteram: nec aliter fuit:
siquidem bimestri necdum euoluto, extremis
priuatus Sacramentis, morte subitanea
concidit. In eadem ciuitate alius similiter
Nouitius, cui Vincentius nomen, bis à Camillo
receptus, bis è Religione egressus est:
sed secundùm egredienti dixit Camillus,
Deum pro meritis illi repensurum, quòd bis
eum fefellisset. Reuersus ergo Messanam,
exiguo post interuallo nouercam suam pugione
percussit: ob quod facinus in carcerem
ipso sollicitante patre coniectus, ibidem miserè

ferè obiit, ferò pertinaciam illam suam deplorans, qua suadenti Camillo vt in Religione perseueraret, auscultare noluit: atque etiam nostris, qui ipsi morienti auxilio accurrerant, palàm confitens, iam se prædictam à Camillo Dei punitionem re ipsa experiri.

CAPVT XVIII.

Diuina in quosdam alios animaduersione, qui Nouitios à nostra Religione studuerunt auertere.

PRÆTER modò narratas punitiones, quibus Nouitij Religionem perperam deserentes, Deo vindice, iuxta prænuntiatas à Camillo minas afflicti sunt: experimentis quoque didicimus Dominum Deum, potenti suo brachio etiam illos puniuisse, qui ipso- rum à Religione defectionem procuraerunt. Quorum mihi liceat duo tantummodò exempla in medio ponere. In principio Decembris anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi receptus fuit in domum nostram Neapolitanam Nouitius quidam, Ioannes Andreas nomine, è nobilissima familia: sed ea res patri supra modum displicuit, reputanti cum animo suo, filium ingressum esse in Religionem nouam, pauperem,

D d 5 rem,

426 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
rem, despectam, vno verbo, indignam, vt re-
batur, genere & statu suo. Quare tentatis
omnibus ad eum reuocandum viis, nec vllò
post tot machinas secuto successu, delibe-
rat denique, cùm aliter nequeat, per vim ra-
pere. Igitur destinat expeditioni crastinam
diem, & hunc propositi exequendi modum,
nempe se cum multis raptoribus inclusam
rhedâ viam infessurum, qua filio ad Nosoco-
mium eunti transeundum sit: ita se illum ad
solita infirmorum auxilia euntem de media
via rapturum. Rebus ita constitutis, contulit
se eodem vespere sanus & valens & alacris
ad lectum. Sed Dominus iudex verus, &
non modò illatarum seruis suis iniuriarum
vindex acerrimus, sed etiam cogitatarum,
permisit eum Nobilem illa ipsa nocte sine
Confessionis alteriùsve necessitatij Sacramen-
ti ope ordinaria subito ac repentino interitu
emori. Quo manè reperto in suo cubili mor-
tuo, dici nequit quâtus omnes illius pridiani
consilij atque apparatus participes incesse-
runt: cunctis pro certo tenentibus, verum
id fuisse Dei iudicium, in exemplum & com-
monitionem aliorum patrum. Non perseue-
rauit tamen dictus Nouitius, licet hæc sciens,
in Religione: verùm ecce noua punitio. Nam
cùm serò domum suam reuertisset, proxima
nocte matrem amittit. Neapoli quoque qui-
dam

dam Religiosorum Superior infelicem fortitus est finem, diuina, uti apparuit, animaduersione, quod scilicet Nouitium quemdam, Franciscum Antonium nomine, à nostra Religione alienasset. Hic Religiosum habitum induerat magno patris dolore, eò quod esset primogenitus. Postquam ergo pater omnem mouisset lapidè, ut eum retraheret ad sæculum, nihilq; promouisset, tandem Romam mandatum obtinuit, ut educeretur è Religione, atq; in manus Nuntij Apostolici traderetur, voluntatis eius explorandæ gratiâ. Quod ut perfectum est, eum Nuntius ad principale quoddam Monasterium Neapoli (quod ex reuerentia reticeo) ablegauit, eiusq; Superiori ad exequendum iam dictum munus cõtribuit, adiungendo ut diebus aliquot non fineret Nouitium cum nostris colloqui, nihiloq; magis cum parentibus. Verum Superior id totum paruiducens, ab ipso primo vespere cœpit agere ut cum suis loqueretur, immò cum illis cibum sumeret, cum illis dormitum iret: neq; hoc satis, sed ipsemet etiam diu noctuq; eum hortari & sollicitare, ut rediret ad sæculum. Et quia cogitationes eius non eò tendebant ut illum probaret, sed reuerà ut è Religione (ad gratificandum eius patri) extraheret, tam validi ac tam frequentes eius fuerunt insultus, ut tandem miser Nouitius, post decem dierum luctam,

428 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
luctam expugnari sese vinci que permiserit.
Quod quidem magis fecit vt importuni ho-
minis manus euaderet, quàm vt eius volun-
tati se dederet. Idem porro Superior hac ob-
tenta victoria, quasi aliquo acquisito regno,
statim exuere habitum Clericalem iussit, &
ad maiorem suum triumphum ac festiuita-
tem, alium sui Ordinis Monachalem indu-
ere habitum, ciendi risus causâ hortatus est,
deinde inuitato, vt ita vestitus per cubiculum
incederet, multis ibidem Monachis præsen-
tibus, dictum istud effutiuit, *Pulchriorem eum
videri Monachum quàm Clericum.* Denique
miram eo vespere hausit ex eo voluptatem,
quod istum Nouitium supplantasset, atque à
Cruce reuellisset. Enimuerò suprema illa
Maiestas, cui peccata mortalium, præsertim
Religiosorum, infinitè displicet, non amplius
quàm menses quatuor ab hoc facto effluere
vult, quin debita eum pœna à tergo infe-
quens profligaret. Suscitata enim in eum à
præcipuis eius Ordinis Dei zelo flagrantibus
tam fera tempestas fuit, vt demum ferro &
vinculis oneratus Romani abductus fuerit
captiuus, vbi duro inclusus carcere, intra pau-
cos dies multo dolore oppressus & conster-
natus miserè interiit: sicque peccati sui tribu-
tum soluit. Tantum deinde Nouitius ille no-
ster effecit, vt ad Religionem postliminò
redie-

redierit, qui & omnia modò dicta denarrauit:
 sed & pater ipse, mutata voluntate, postmo-
 dum nostri Ordinis admodum amans ac
 studiosus fuit. Aliàs verò ipse dæmon non
 iam alieno instrumento, sed ipse per sese v-
 num Sacerdotem Nouitium (Pater Cæsar
 Augustinus appellabatur) abducere à Reli-
 gione tentauit. Hic statim atque nostri Or-
 dinis habitum Romæ induit, malè habere
 cepit, & quasi leprosus videri: qui instar al-
 terius sancti Iob mirificâ ornatu patientiâ,
 nihil aliud proferebat, nisi: *Dominus dedit,*
 (sanitatem scilicet) *Dominus abstulit. Sit no-*
men Domini benedictum. Cuius dicti fastidio
 nimis indignatus satanas illi medio die appa-
 ruit, speciem gerens Fratris Stephani à Mu-
 tina, hominis insigni probitate, intransque
 cubiculum more visitantis & solatium affe-
 rentis, illum docere institit, omnes qui Deum
 tentare ausi sint, in talia infortunia atque et-
 iam in peiora incidere solitos, in cuiusmodi
 iam ipse incidisset: postquam scilicet, relicta
 prima vitæ suæ ratione bona & sancta, quam
 debebat in sæculo, illuc iam deuolutus esset,
 vt cogeretur in lecto decumbere otiosus, nec
 sibi bonus, nec alteri. Tandem conclusit,
 melius fore si ad sæculum reuerteretur,
 quàm vt in Congregatione maneret raptò
 viuens; quo dicto abscessit: infirmus autem
 in

430 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
in tristitia & perturbatione relictus est: nempe pro certo habens, hunc Stephanum à Camillo missum, ad faciendum suæ perseverantiæ periculum, aut fortè quòd ob dictam infirmitatem nollet eum in Congregatione amplius retinere. Accersito igitur Camillo, valdè deploravit & conquestus est, se ab illo eductum Neapoli patria sua, & nunc contra omnem charitatem dimitti. Camillus autem admiratione plenus, multum laborare, vt hac falsa opinione illum liberaret: & dicere, Stephanum hoc tempore in Valetudinario Turris-nouæ habitare, eumque à multis iam diebus domum non venisse: sed illo non acquiescente, misit Camillus, qui Stephanum ipsum euocaret, quem deinde præsentem coram infirmo interrogavit: *Tūne hodie domi fuisti, vt huic persuaderes, vti reuerteretur ad seculum?* Mox Stephanus signo Crucis præ admiratione sæpius efformato, *Minimè gentium,* inquit, *minimè: immò dies octo iam præteriere, ex quo domum non veni.* Tum denique infirmus manifestò cognoscens, eum, qui aduenisset, fuisse angelum satanæ, statim è lecto surrexit, ac prout potuit, à Fratibus adiutus, in templum descendit cum sola toga, ibique flexis coram sanctissimo Sacramento genibus, multis perfusus lacrymis, votum perseverandi

randi ac moriendi in Congregatione nuncupavit. Nec vanum votum fuit: siquidem paullò post in Congregatione admodum piè mortuus est.

CAPVT XIX.

Breuis declaratio status Religionis in morte Patris Camilli, eiusque effigies & statura.

A Felici excessu P. Camilli sparsa erat & fundata Religio in locis Italiae sexdecim, Romæ scilicet, Neapoli, Mediolani, Genuæ, Bononiæ, Messanæ, Panormi, Florentiæ, Ferrariæ, Mantuæ, Viterbi, Boccanici, Teatæ, Burgononi, Calatagironæ, Sinuessæ. Quæ domus in quinque erant diuisæ Prouincias, Romanam, Neapolitanam, Mediolanensem, Bononiensem, & Siculam. Censebantur tum in viuis Professi in Religione circiter trecenti, mortuis ante ipsum Patrem nostrum tam Profellis quàm Nouitiis non minùs ducentis viginti, & omnibus quidem ferè ex assiduis circa infirmos laboribus. Inter quos vidit ipse migrantes ad Dominum, Bernardinum Nurcinum, P. Franciscum Prophetam, & Curtium Lodi, primos

432 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
mos suos & antiquos sodales, & cunctos sin-
gulari probitate insignes. De cetero funda-
tam reliquit Religionem suam super solidif-
simo fundamento, siue super gemino chari-
tatis præcepto, nempe diligendi Deum su-
per omnia, & proximum sicut seipsum. Illò
enim tendunt ac diriguntur omnia opera
nostra tam corporalia quàm spiritualia. Quip-
pe qui ad perfectum Dei amorem acquiren-
dum, omni ope & totis viribus in salutem
& perfectionem propriam incumbimus, non
modò diuinorum obseruationi mandato-
rum insistentes, sed etiam sanctissima Iesu
Christi consilia sectantes, vota solemnia fa-
cimus Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ,
quemadmodum alij omnes Religiosi. Deinde
ad meliùs amandum & consequendum
salutem proximorum, quarto nos solemn-
i voto obligamus ad perpetuò eis ministran-
dum, tam in corporis quàm in animæ neces-
sitatibus, non solùm tempore sanitatis, cum
à multis alijs Religiosis adiuuantur, sed in
maiore ipsorum necessitate, hoc est, tempo-
re infirmitatis atque mortis: & speciatim qui-
dem tempore pestilentia, dum pauperes se-
rè ab omnibus vulgò deseruntur. Atque hoc
quarto voto ab alijs Religionibus distin-
guimur. Quod clarè demonstrat ipsum no-
men, quod Camillus Religioni indidit, Cle-

RICORDIS

vicorum Regularium infirmis ministrantium
 quam Religionem sic appellavit partim ex
 humilitate, partim ad vim instituti magis
 explicandam. Verumtamen est in multis
 Italiae ciuitatibus, nostros vulgò appellari
Patres ad benè moriendum: quòd scili-
 cet nos videant diu noctuque ad mori-
 bundos pauperes perinde ac diuites sine ex-
 ceptione personarum adiuvandos accede-
 re. Gerit autem Religio nostra habitum
 Clericorum, quo modo alij omnes Sacer-
 dotes saeculares, non solum ad reddendos
 se, quoad eius fieri potest, populo fami-
 liares & quasi domesticos, sed etiam quòd
 hic habitus magis expeditus sit & vsita-
 tus, & magis conformis vestitui Apосто-
 lorum, qui cum omni genere hominum,
 nobilium & ignobilium, gentilium atque
 fidelium versabantur. Vt verò Crucem in
 vestibus pro nostra nota atque insigni por-
 tarem, tribus de caussis id Patri nostro
 Camillo placuit. Quarum prima fuit, ad
 distinctionem à Patribus Societatis Iesu: se-
 cunda, ad declarandum mundo nos om-
 nes, qui hac sanctae Crucis nota insigniti
 sumus, esse tamquam mancipia venunda-
 ta & dedicata pauperum infirmorum mi-
 nisterijs: tertia, ad demonstrandum hanc
 esse Religionem Crucis, laboris, toleran-

Ee

tia.

434 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
tiæ, ipsiusque mortis: ut qui nostrum
amplecti voluerint viuendi modum, sibi
ante persuadeant venire se ad amplexum
Crucis, ad abnegationem sui, ad sequen-
da vestigia Domini nostri Iesu Christi vs-
que ad mortem. Ministerium autem Re-
ligionis nostræ erga proximum consistit in
exercitiis operum misericordiæ corpora-
lium & spiritualium, tam circa infirmos
in Nosocomijs, quàm circa moribundos
in domibus priuatis. Modus verò qui à
nostris seruatur in ministerio infirmorum
in Nosocomijs, eò tendit, ut penitus libe-
rentur è manibus famulorum mercenari-
orum: uti iam fit in ciuitatibus, vbi vel om-
nino vel ex parte Nosocomiorum cura
nostris commissa est, quemadmodum Me-
diolani, Neapoli, Genuæ, Ferrariæ, Man-
tuæ, & alibi: aut certè vbi hoc ab eo-
rundem Nosocomiorum Tutoribus per-
missum non est, saltem per quotidianas ex-
more visitationes, sicut fit Romæ, Bono-
niæ, Florentiæ, Messanæ, Panormi, &
aliis in locis, prout semper fecit Congre-
gatio à suæ foundationis primordiis, innixa
illis Iesu Christi verbis: *Infirmus eram, &
visitastis me.* Qui modus specialiter in Vi-
be viget, capite & matre foundationis no-
stræ, vbi (quemadmodum & in aliis item
domi-

domibus) dicere citra arrogantiam licet, ferè plures esse è nostris, qui tam diu quàm noctu foris in ministerio infirmorum occupentur, quàm qui domi ad sarcinas remaneant. Cuius rei alia non desideramus testimonia, quàm ipsos misericordes oculos Dei, & ipsa nostra sepulchra iam ferè plena Patrum ac Fratrum in proximorum ministerio extinctorum. Porro prædicta opera tali ordine à Congregatione exercentur, vt corporalia spiritualibus subseruiant, & tamquam via & esca ad salutem animarum procurandam adiuvent: in quo etiam consistit principalis nostri Instituti scopus: quemadmodum in litteris suis Apostolicis expresserunt Sixtus V. Gregorius XIV. & Clemens VIII. Vnde non alia de caussa tot genera charitatis erga infirmos à nostris vsurpantur, quàm vt eiusmodi amoris & benevolentiae signis ad patientiam in doloribus, ad dolorem de peccatis, ad propositum emendationis vitæ, ad integritatem confessionis, denique ad mortem piè ac feliciter in Dei gratia oppetendam adducantur. Neque enim aliò tota Religionis nostræ diligentia respicit, quàm ad animas rectâ pietatis ac misericordiæ semitâ in caeleste regnum perducendas. Quocircà quàm primum nostri animaduertunt alicuius in-

436 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ualetudinem in Nosocomijs ingrauescere,
confestim tanta illum dexteritate ad ven-
turos casus student disponere, atque ad
mortem præparare, vt antè infirmus ad ex-
tremum vitæ certamen sit munitus, quàm
instare sibi mortem sentiat. Eadem indu-
stria cum iis qui in priuatis ciuium ædi-
bus ad mortem tendunt, procedimus, tam-
etsi his non aliud soleat quàm spiritua-
le auxilium, per admonitiones, precatio-
nes, diurnas nocturnasque vigilias mini-
strari: efficiendo nimirum, vt mors illis
sapida dulcisque pareat, aut certè non ad-
modum amara: prospiciendoque modis om-
nibus, vt in Dei gratia & omnibus instru-
cti Sacramentis excedant. In quibus om-
nibus exercitiis habent nostri impenden-
dorum laborum diuisa tempora & distin-
ctas vices: vti & fessis noui recentisque suc-
cedant, & expletis Marthæ negotiis ad otia
Mariæ se recipiant, lectioni, precationi,
meditationi incumbentes, aut excipiendis
Confessionibus, habendis concionibus, &
aliis quæ ad diuinum spectant cultum exe-
quendis. Vnde sequitur, hanc Religionem
non esse merè actiuam, vt multi arbitran-
tur, sed ex actiua & contemplatiua mix-
tam. Quæ nostra exercitia iudicauit Pater
& Fundator noster Ecclesiæ maximè esse
neces-

necessaria, speciatim vt Religiosos nostros redderet proximis suis magis familiares atque domesticos: cum quibus si tantum sub mortis tempus versarentur, sine dubio illis iniuri & formidandi fierent, adeoque ab omnibus censerentur velut quidam mortis prænuntij & antecursores: sed dum etiam tempore sanitatis per dicta Ecclesiæ exercitia cum ijs conuersantur, eos omni eiusmodi opinionis prauæque persuasione vmbra liberant. Iam pro operibus atque laboribus, quos Congregatio nostra in ministerio infirmorum tam in Nosocomiis, quam alibi volens libensque suscipit, nihil prorsus potest in mercedem aut stipendium admittere: sed omnia suscipit, facit, patitur ex vera & liberali charitate, cuius nos emittimus professionem. Quin hoc in negotio tantus est Instituti nostri rigor, vt ad omnem talis expectationis amoliendam suspicionem, in ipsa Foundationis Bulla nostris interdicator, ne vllum infirmum ad condendum testamentum aut conficiendum legatum in Religionis nostræ fauorem hortari possint: sed si quid vltro datum aut relictum fuerit, id in operariorum & Congregationis sustentationem non secus atque aliæ eleemosynæ admitti potest. Atque idcirco præter domos Professorum, tenetur

Congregatio habere etiam Nouitiatu & Valetudinaria generalia pro nostris infirmis incurabilibus, & aliis senibus, qui præ ætatis grauitate sustinendis laboribus sunt inidonei. Hinc est, quòd Domibus Professis, non habentibus vnde possint ex corrogata stipe ordinaria dictos Nouitiatu & Valetudinaria sustentare, tam Camillus quàm ipse Summus Pontifex dispensarint ac concesserint, vt exceptis Domibus Professis, possent dicti Nouitiatu & Valetudinaria generalia proprium aliquid possidere, & ex proprio viuere: ita nimirum vt census ac prouentus tantum administrarentur iuxta dispositionem ac voluntatem Patris Generalis & Consultorum. Potest nihilominus vnaquæque Domus Professa citra violationem Paupertatis habere ac possidere locum aliquem recreationis in cælo aperto ac libero, vbi nostri laboribus defessi nonnihil respirare, ac nouas spiritus vires instaurare possint: quò scilicet aptiores atque promptiores ad misericordiæ opera pro more exercenda se referant. Complectitur autem hæc Congregatio tres personarum status, nempe Sacerdotes, Fratres, & Oblatos. Primi sanctissimorum Sacramentorum administrationi tam in Nosocomiis quàm in templis, & alibi ad

infr-

infirmorum auxilia & solatia deputantur. Secundi primorum sunt comites, & in supra dictis ministeriis adiutores, vltra ipsorum propria in Nosocomiis officia. Tertij denique, omni circa infirmos obligatione liberi, solis externis operibus domi intendunt, ne duo primi ordines cum maioris boni detrimento illis impediuntur. Qui primi ordines post duos annos Nouitiatus pari modo solemnem professionem edunt quatuor votorum: sed ordo tertius tantum voluntarie Deo seruit absque vlllo votorum vinculo. Præter supradicta vota solemnia fiunt à nostris & alia quatuor simplicia. Primum est, nihil mutandi neque consentiendi mutare volentibus rationem infirmis ministrandi in Bullis contentam, nisi forte ad eam magis restringendam. Secundum, non consentiendi ad habendum aut possidendum censum aut dominium Nosocomiorum. Tertium, non procurandi electionem sui ad aliquam Prælaturam aut dignitatem, siue in Religione, siue extra illam, nisi cogente Summo Pontifice, sub pœna peccati. Quartum, manifestandi Religioni aut Consultoribus, si quis nostrum sciretur dictas Prælaturas procurare. Ob continuas autem Religionis nostræ cum infirmis occupationes, non tenentur nostri recitare diuinum Of-

440 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
ficium in Choro, nec interesse Processio-
nibus, quemadmodum sancte faciunt alij
Religiosi: sed Sacerdotes & alij sacris ini-
tiati Ordinibus priuatim dictum Officium
per se vnusquisque recitant. Nam nostræ
Horæ matutinæ sunt, assistere & vigilare
nocte & die apud infirmos & moribundos
in Nosocomijs, & alibi: nobis pro certo
& explorato habentibus, quemadmodum
ab alijs Religiosis Dominus Deus conue-
nienter laudatur & celebratur cantu atque
voce, sic à nostris non inconuenienter
laudari ac celebrari manu & opere, viuo, in-
quam, opere charitatis & pietatis erga proxi-
mos: quorum refrigeria atque benedictio-
nes speramus sacrificium esse laudis tam ac-
ceptum misericordibus Dei auribus, quam
psalmodum hymnorumque cantus. Neque
hæc Institutorum diuersitas vllam asper-
git Ecclesiæ maculam aut deformitatem,
sed decorem potius, ornamentumque sin-
gulare: quandoquidem sponsa non ob aliud
incedat vestita & circumdata varietate,
nisi vt oculis Sponsi pulchrior appareat &
gratiosior. Præterea sæpè comparatur san-
cta Ecclesia agro atque messi, dicente
Christo: *Messis quidem multa, operarij
autem pauci.* Et quemadmodum in agris
opus est diuersis operarijs, quibusdam ad
fodien-

fodiendum & impinguandum agrum, nonnullis ad seminandum, aliis ad sarriendum, postremis denique ad secandum mendumque frumentum: ita in hoc florentissimo Ecclesiae agro necessaria sunt & semper erunt diuersa Religiosorum Ordinum genera: quorum alij terram fodiunt, corpus rigore poenitentiae macerando, & fideles pluuiam lacrymarum ac mentis vocisque precationibus impinguando: alij feminant, verbum Dei praedicando; alij sarriunt, purgantque à superfeminatis zizaniis, haereses confutando, differendo, scribendo, bonas artes edocendo; alij postremo frumentum iam maturum metunt, dictos fideles in extremis vitae horis adiuuando, quod speciatim nostra facit Religio animarum messes colligendo, & diuina aspirante gratia in sempiternum caeli horreum conuehendo. Atque ut huius Congregationis Patres ac Fratres caelesti ope adiuti semper ardentem Dei amorem in se ipsis fouere possint, Camillus inter alia suis Regulis inseriit, ut Sacerdotes (si per impedimenta quidem licuerit) sanctum Sacramentum quotidie celebrent; Fratres autem omni Dominica & singulis diebus Festis ab Ecclesia praecipitis peccata rite confiteantur, & Venerabilem Eucharistiam de-

Ec 5 uote

442 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
uotè sumant. Insuper vt omnes quotidie
horam vnã meditationi siue orationi
mentali impendant, Litanias recitent, exa-
men conscientiæ vesperi exsoluant. Ad ab-
sinentiam verò & ad alias corporis mace-
rationes quod attinet, habito ad magnos
labores, qui apud infirmos subeundi sunt,
respectu, dum continuò cum fœtore &
grauolentia conflctantur (quæ res magis
corpus quàm alia quæuis iniuncta pœna af-
fligit) noluit Congregationem ijs obligare,
sed tantùm constituit, vt præter omnia
Quadragesimæ & aliorum à sancta Ec-
clesia præscriptorum dierum ieiunia, no-
stri omnibus Feriis sextis vesperi à victu ab-
tinerent, & vnã corporis voluntariam di-
uerberationem in sanctæ Passionis memo-
riam susciperent. Qui verò alias similes pœ-
nas subire vellet, id absque speciali Supe-
rioris aut Confessarij facultate ne faceret:
quò scilicet vocationis nostræ ordo non
peruertatur. De studiis porrò id solùm ha-
beo dicere, quod mihi aliquando Illu-
strissimus Maggus vir singulari eruditio-
ne dixit, nempe non modò in hac Reli-
gione studia esse necessaria, sed etiam opus
esse, vt nostri homines doctiores sint quàm
ipsi dæmones, quandoquidem assiduè cum
illis differendum & conflegendum sit. Et
hoc

hoc quidem , non tantum vt in ædibus
 priuatis officio nostro benè fungamur (in
 quibus plerumque litterati, Doctores, Præ-
 lati, & cuiuscumque dignitatis moriuntur)
 sed etiam in Nosocomijs, vbi vt plurimum
 ad mortem conducendi atque adiuuandi
 sunt, quorum maximè intricata & in lu-
 brico periclitetur conscientia. Non potuit
 nihilominus hæc Religio tempore Patris
 nostri magnum in his studiis profectum fa-
 cere, partim quidem ob exiguum tunc
 nostrorum numerum, sed multò magis
 ob multos labores, quibus ipse suos Reli-
 giosos semper tenuit occupatos. Guberna-
 tur vniuersa Religio nostra ab vno Præfe-
 cto Generali cum quatuor Consultoribus
 vim decidendi habentibus, vincente ma-
 iori numero: qui simul iuncti à nobis ap-
 pellantur Consultatio Generalis, quæ ab-
 soluto Capitulo summâ pollet supra totam
 Religionem potestate. Ab hac eliguntur
 Prouinciales, Præfecti, Visitatores, & qui-
 libet alij Officiales. Ipsa sola potest conde-
 re Constitutiones quæ cunctos obligent:
 potest enascentia super ijs dubia exsoluere:
 potest iubere ordinari Sacerdotes, recipi
 Nouitios, mittere ad studia, fundare do-
 mos, attribuere Prouincias, assumere &
 relinquere Nosocomia, administrare & dis-
 tribuere

444 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
tribuere census Nouitiuum & Valetu-
dinariorum generalium : ac postremò ab
illa procedit pendetque omnis alia Reli-
gionis auctoritas ac potestas. Obseruandum
porrò est, nullam omnino è nostris Regu-
lis aut Constitutionibus (extra quatuor vo-
ta solemnia, & quatuor simplicia) obli-
gare ad peccatum mortale, immò nec ve-
niale, sed tantum ad pœnam tempora-
neam, vel ab ipsis Regulis vel à Superio-
ribus impositam. Ex quibus cognoscitur,
Religionis nostræ regimen non esse Mo-
narchicum, sed Aristocraticum, qualis est
bene ordinarum Rerumpublicarum sta-
tus, in quibus pauci dumtaxat & optimi
moderantur. Neque tamen propterea non
multum quoque habet monarchiæ: quan-
doquidem, exceptis iis quæ iuxta Bullas
& Constitutiones definiuntur in Consul-
tatione, reliqua omnia penes absolutam
Generalis potestatem relicta sint: immò ista
quamuis à Consultatione definita sint, ta-
men ipsius Generalis subscriptionem po-
stulant, atque eius nomine cum omnibus
resolutionibus atque responsis foras exeunt.
Idem Præfectus Generalis, & cuncti Con-
sultationis Officiales quouis sexto anno à
Capitulo Generali creantur ac renouantur.
In quod Capitulum soli intrant ipse Præ-
fectus

fectus Generalis, Consultores, Arbitrator, Procurator Generalis, Secretarius Consultationis, & præterea Prouinciales, singuli cum duobus è Prouincia sua socijs: Verùm quia tam circa dictam gubernationem, quàm circa Institutum, & res omnes alias à me allatas, ac speciatim circa conditiones eorum qui admittendi sunt, multa existunt alia peculiariora, & multæ circumstantiæ, pro iis; ne sim longior, remitto ad Bullas Pontificias, & Constitutiones factas ac stabilitas à Capitulis Generalibus; nunc tantummodò aliquam succinctam & compendiosam Instituti nostri delinationem dedisse contentus.

Superest ad extremum, vt Patris nostri effigiem ac staturam aliquatenus adumbratam repræsentem. Fuit is, quantum ad corporis molem spectat, valde procerus, nempe palmos octo & dimidiatum, ceteris omnibus membris æqua proportione respondentibus: capite non parum eminente, capillis colorem nec omnino nigrum nec planè castaneæ, sed medium inter illos referentibus, qui in extrema ætate canitiem ex parte admiserunt: fronte lata & exporrecta, facie oblonga, & vt in corpore macilento, coloris temperati & ad oleastrinum vergentis: ac licet vultu appareret

reret

446. VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
reret aliquantùm rigido, tamen magna illi
inerat suauitas cum grauitate ac pietate con-
iuncta. Remansit eius species post mortem
tam pulchra, ridenti quæ similis, vt non
quiret populus à respectanda & deoscu-
landa fatiari: etiam ij qui naturæ indole à
corporibus mortuis abhorrebant, nec alia
vniquam in vita sua cadauera attrectarant.
Oculi non admodum grandes, & subni-
gri erant, congenitam quodammodò mi-
sericordiam ab hominibus mirabiliter ad-
amatam aspirantes. Longis erat superciliis,
auribus mediocribus, naso ad vultus pro-
portionem apto, & nonnihil aquilino,
ore grandiusculo cum æqualibus labiis, sed
exilibus, mento satis largo, pilis non ad-
modum spissis vestito, sed magis quàm in
capite canitiem præferentibus: collo ob-
longo, latis humeris, itidem & pectore.
Increuerant genibus velut alia bina genua
valdè acuta, vel potius crassi duo calli,
quos ego quidem internoscere numquam
valui, essentne calli, an ossa. Ad corporis
verò gestus quod attinet (qui non mini-
mum edere solent animi latentis indicium)
toti grauitatem atque modestiam præfere-
bant, seu in sermone, seu in incessu,
seu in omni alia actione: vt nihil ingra-
tum inconditumve appareret, quod of-
fen-

fenderet animos, quin potius cunctos in eum intuentes deuotionis sensu perfunderet. Nonnumquam aliquantulum claudicabat velut affectam trahens tibiam; sed citra ullam deformitatem. Virâ semper prosperâ, & robustis incescit viribus, nisi quod extremis annis labore multo confectus nonnihil incuruus gradiebatur, & longè grandiore quàm alioqui haberet ætatem præ se ferens. Vnde quidam magnus Dei seruus non inconcinnè dixit: *Patrem Camillum ætatis quidem non plures attigisse annos quàm sexaginta quinque, sed laboris & tolerantia centum & quinquaginta.* Eius quæ circumferuntur imagines, formatæ sunt partim ex ea quæ in gypsum excepta est, procurante ex deuotione Domino Ioanne Baptista Crescentio, vetere eius filio spirituali, partim ex altera effigie depicta à Domino Iosepho Casare Arpinate, viro in pingendi arte raro atque excellenti.

Atque hætenus, quantum tenuitas tulit ingenij mei, Vitam descripsi Patris nostri Camilli: qua in descriptione profiteri ingenuè possum, contraxisse me & restrinxisse potius egregia eius facinora & benefacta, quàm amplificasse aut dilatasse, quemadmodum tota ipsa Religio fidissimum mihi exhibere

448 VITÆ P. CAM. DE LEL. LIB. III.
te poterit testimonium. Nam mentis meæ
semper fuit; eius Acta indicare potius ac
perstringere, quàm fusè & plenè denarrare.
Denique quidquid est huius mei laboris;
id totum iudicio atque correctioni sanctæ
Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Eccle-
siæ submitto:



INDEX